



This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

### **Usage guidelines**

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

- + *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
- + *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
- + *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
- + *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

### **About Google Book Search**

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at <http://books.google.com/>

LV  
26  
79



Lv 26.79

HARVARD COLLEGE  
LIBRARY



FROM THE LIBRARY OF  
ALBERT ANDREW HOWARD  
POPE PROFESSOR OF LATIN

THE GIFT OF HIS SON  
HERMANN HAGEN HOWARD  
Class of 1916

RECEIVED OCTOBER 15, 1928





*A. L. Haunert*

DE

AUCTORIS DE VIRIS ILLUSTRIBUS LIBRO

QUAESTIONES HISTORICAE.

FRANCOFURTI,

JOH. MAHLER & WALDSCHMIDT

MDCCLXXV.



DE  
AUCTORIS DE VIR. ILL. LIBRO  
QUAESTIONES HISTORICAE.

---

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM AD GRADUM

DOCTORIS PHILOSOPHIAE

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE HERBIPOLENSI

RITE CONSEQUENDUM

CONSCRIPSIT

HERMANNUS HAUPT.

---

FRANCOFURTI,  
TYPIS MAHLAU & WALDSCHMIDT.  
MDCCLXXVI.



Lv 26.79  
✓

HARVARD COLLEGE LIBRARY  
FROM THE LIBRARY OF  
ALBERT ANDREW HOWARD  
NOVEMBER 24, 1925

H

Omnes fere viri docti librum de viris illustribus urbis Romae ad tempus plane neglexerunt, neque quisquam in quaestione de illius auctoritate instituenda ne tantillam quidem operam collocare dignatus est. Quae res minimam admirationem haberet, si librum illum aut prorsus rerum inopem aut ex scriptoribus, quorum libri hodie exstant, esse compositum appareret; sed hac ipsa re, quod pars longè maior illius libri nequaquam ex ceterorum scriptorum auctoritate pendet et unaquaque fere pagina aliae res diverse a ceteris scriptoribus traditae, aliae ab uno auctore de vir. ill. relatae leguntur, praesertim quod in aliquot summae gravitatis quaestionibus historicis diiudicandis ille maximum momentum habet, profecto immerita oblivione obrutus esse mihi videtur. Quare equidem illi libro pro tenui mea parte illustrando dare operam in animum induxi aliquantulum ita me de historia meriturum confisus. Atque primum virorum doctorum coniecturas de fontibus auctoris de vir. ill. factas collegi atque examinavi, deinde meam sententiam argumentis firmatam aperui, postremum quid de auctoritate atque fide historica eius statuendum esset, exposui. Neque tamen hoc libello quaestiones de auctore de vir. ill. absolutas atque transactas esse spero, sed satis habeo, quem ad finem dirigendae illae essent, ostendisse.

---

---

# PARS I.

## De fontibus auctoris de vir. ill.

---

### CAPUT I.

*Borghesius* primus de fontibus auctoris de vir. ill. coniecturam fecit (Giornal. Acad. 1819 I p. 60) atque eius librum niti illis elogiis iudicavit, quae statuis triumphatorum Romanorum in foro Augusti constitutis subscripta fuissent; eandemque sententiam *Bunsenius* (descript. urb. Rom. III 2. 151) et *Niebuhrus* (hist. Rom. II 518, III 77) amplexi sunt. Quibus tamen *Beckerus* (antiquitat. Rom. I 56) et *Zellius* (elogia Romana 1847) acriter adversati sunt his gravissimis argumentis usi, quod et ducum Romanorum et multorum populi Romani hostium vitae ab auctore nostro describerentur et multi errores apud eum invenirentur. Quibuscum plane consentio, cum manifestum sit neque M. Manlii Capitolini neque Hostilii Mancini neque Flavii Fimbriae neque Apulei Saturnini neque Pyrrhi neque Hannibalis neque Antiochi neque Viriati neque S. Pompei neque ceterorum Augusti hostium statuas, quorum vitae ab auctore nostro describuntur, in foro Augusti exstitisse.

*Meierii* coniecturam (Zimm. Z. A. W. 1835 pg. 229) hoc loco argumentis refellere mihi non in animo est, qui librum de vir. ill. medii aevi temporibus ex Livio excerptum esse opinatus est. Mea enim sententia de auctoris nostri fontibus comprobata, quam inepta illa coniectura sit, apparebit.

Acute *Mommsenius* de eadem re disputavit (Herm. I p. 161; IV p. 7) et ad Valerium Antiatem res ab auctore nostro narra-

tas censuit referendas esse. Cui *Aldenhovenius* (Herm. V p. 150) adversatus est, qui reiecta Mommsenii coniectura Calpurnii Pisonis annales secutum auctorem de vir. ill. esse iudicavit. Quam sententiam illico redarguemus:

*Aldenhovenius* demonstrare studuit non recentiorem scriptorem, qualem Antiatem, sed unum ex vetustioribus ab auctore nostro excerptum esse. Quam sententiam cum minus argumentis, quam vanis opinionibus coniecturisque firmasset, tamen ipsius Pisonis annalibus auctorem de vir. ill. usum esse demonstraturus non eodem modo agere debuit, sed fragmentis Pisonis annalium cum auctoris nostri libro accurate comparatis, quae ratio inter illos intercederet declarare. Quinque igitur Pisonis fragmenta (in Peterii reliqu. hist. Roman. numeris 9. 10. 12. 13. 37 signata) cum auctore nostro congruunt, sed ita, ut vero proximum esse videatur eas res, quae illis fragmentis referuntur, ab aliis quoque scriptoribus eodemque modo, quo a Pisone et ab auctore de vir. ill. narratas esse; duo fragmenta (num. 5 et 24 signata, quibus addiderim fr. 15) et auctori nostro et ceteris scriptoribus repugnant. Quapropter mihi, qui a quaestionibus historicis opinionum libidinem ac arbitrium esse seiungenda iudicem, ut Aldenhovenio assentiar, non persuadebitur.

*Mommsenii* coniectura hac re nititur, quod auctor noster de accusatione Scipionum cum Valerio Antiate (quem Livius in cap. L libri XXXVIII testem citat) consentire videatur. At si accuratius auctorem de vir. ill. (cap. 49) cum Valerio compares, non hunc, sed alium quendam scriptorem ab auctore nostro adhibitum esse apparebit. Hoc enim, quod apud eum legimus Scipionem librum rationum scidisse *minime a Valerio*, sed ut ipsi *Mommsenio* videtur (Herm. I 160 sqq.), a Polybio, ut *Nissenius* coniecit (quaest. critic. de fontib. dekad. IV et V Liv. annal. p. 213), a Claudii annalibus Livius descripsit; qua de re infra copiosius acturus sum.

Alterum tamen locum auctoris de vir. ill. Mommsenius ex Valerii annalibus fluxisse merito coniecit, et in aliis quoque auctoris nostri capitibus eiusdem Valerii Antiatis vestigia apparere infra videbimus. Neque tamen ideo Mommsenii illud iudicium sequimur, sed hoc solum viro illi doctissimo concedi-

mus inter Cornelii Nepotis fontes, cuius ex libris de viris illustribus compositis nostri auctoris libellum excerptum esse demonstrabimus, et aliorum scriptorum et Valerii Antiatii annales fuisse.

*Jordano* teste (*Hermes* VI p. 200) ipse Mommsenius abiecta illa priori coniectura Cornelii Nepotis libros auctorem nostrum esse secutum sibi persuasit; doctissimi igitur clarissimique illius viri auctoritatem a mea sententia stare quam gratum acceptumque mihi sit, nihil est quod memorem.

*Spengelius* (acta academ. Monac. XXXVI Cl. IX 1863 pag. 317 sqq.) et *Heynius* (de Floro historico Bonnae 1866 p. 6) de fontibus Flori iisque scriptoribus, qui Florum descripsissent, disputaverunt et nostrum auctorem in eo numero habendum esse iudicaverunt; uberius quoque fontibus eum praeter Florum usum esse uterque concessit. Qua de sententia diutissime me meditatam esse et Flori libro cum auctore nostro semel iterumque comparato quid iudicarem dubitasse libenter fateor. Postquam autem eis repugnandum esse intellexi et has quaestiones totas absolvi, magnopere gavisus sum quod *Woelfflinii* libellum de Ampelii libro memoriali compositum (de Amp. libr. mem. quaest. crit. et hist. Gottingae 1854 p. 35 sqq.) inspiciens doctissimum illum virum cognovi de ratione, quae inter Florum et Ampelium et auctorem de vir. ill. intercederet, eandem fere sententiam quam me ipsum amplecti, quamquam minus argumentis eam sibi comprobasse, quam ingeniosa coniectura praesumpsisse videtur. Alteram tamen coniecturam, quam in illo libello *Woelfflinius* de fontibus auctoris nostri fecit, inferius redarguemus et quid de Spengelii Heyniique sententia iudicandum sit, in loco exponemus.

---

## CAPUT II.

Mihi ipsi haec de fontibus auctoris de vir. ill. statuenda esse videntur:

Primum dubitari nequaquam potest, quin auctor noster in libro suo componendo eiusmodi scriptoris operibus usus sit,

qui vitas virorum illustrium scripserit. Unde enim illa, quae accuratissime de virorum descriptorum origine (cfr. c. 35, 1; 47, 1; 57, 1 etc.), pueritia (cfr. c. 42, 1; 49, 1; 75, 1 etc.), adulescentia (cfr. c. 24, 1; 28, 1; 47, 1; 49, 2 etc.) morte atque funere (cfr. c. 3, 3; 10, 7; 15, 6; 18, 7; 27, 5; 32, 4; 35; 11 etc.) de illorum petitionibus repulsis munerum administrationibus (cfr. c. 27; 32; 44; 47; 56; 61 etc.) auctor noster rettulit, opineris hausta esse, nisi ex libro, qui virorum illorum vitas a cunabulis usque ad mortem summa diligentia persequeretur? Nullo pacto auctor noster, quem Spengelius ante Hadriani tempora vixisse negavit, ex Livii vel Antiatis vel Pisonis voluminibus existimari potest narratiunculas illas de virorum illustrium infantia atque adulescentia multaque illa facete vel graviter dicta atque facta excerptisse eoque modo librum suum consarcinasse, cum praesertim multae eiusmodi res ab auctore nostro relatae apud nullum alium scriptorem inveniantur (velut ea, quae auctor de vir. ill. narrat de aedilitate et quaestura M. Livii Drusi c. 66, de adulescentia et aedilitate M. Aemilii Scauri c. 72, de quaestura M. Bruti c. 82, de sepulcro Hannibalis c. 42, de dracone Scipioni Africano parvulo circumfuso c. 49, de superbia Apulei Saturnini c. 73, de muliere Sullae parvulo futura praedicente c. 75 etc.).

Quae coniectura, si Ampelii librum memorialem cum auctore nostro comparaverimus, ad certum redigetur. Apud eum enim capite XVII reges Romanorum, cap. XVIII clarissimi duces Romanorum, cap. XIX Romani, qui in toga fuerunt illustres, capitibus XX, XXI, XXII, XXVII, XXVIII, XL, XLII, XLVII viri illustres Romani et exterarum gentium duces describuntur iisque verbis, quae cum auctore nostro multis locis mirum in modum concinant. Woelfflinius (de Ampel. libr. mem. quaest. hist. et crit. Gotting. 1854 p. 35 sqq.) nonnullos eiusmodi locos proposuit, quos ego quoque huc afferam:

*auct. de vir. ill. c. 33. 7.*

Legatis Samnitum aurum offerentibus, quum ipse in foco rapas torret: Malo, inquit, haec in fictilibus meis esse et aurum habentibus imperare.

*Ampel. XVIII. 8.*

Curius, cum in foco rapas torret, — — offerentibus: malo, inquit, in fictilibus meis — et aurum habentibus imperare.

*auct. de vir. ill. c. 57. 1.*

Scipionem Asiaticum quamvis inimicum duci in carcerem non passus.

*auct. de vir. ill. 12.*

Mucius Cordus — dextram aris imposuit.

Quartum autem Woelfflinii exemplum (*auct. de vir. ill. 45, 3 — Ampel. XVIII. 10*) removendum esse videtur, quod illa ipsa auctoris nostri verba, quibus Woelfflinius nititur, in omnibus libris manu scriptis desunt, exceptis Schottii codicibus, quos multae interpolationes suspiciosissimos reddunt.

Equidem hos locos addam:

*auct. de vir. ill. 56. 4.*

In hac laetitia duos filios amisit; et progressus ad populum gratias Fortunae egit, quod —

*auct. de vir. ill. 73. 8.*

Metellus Numidicus exulare, quam iurare maluit.

*auct. de vir. ill. 66. 13.*

Invidia caedis apud Philippum et Caepionem fuit.

*auct. de vir. ill. 19. 2.*

Hic consul gravi annona —

*auct. de vir. ill. 24. 5.*

cum addictos propria pecunia liberaret regni affectati suspicione —

*auct. de vir. ill. 35. 6 sqq.*

*auct. de vir. ill. 67. 4.*

Et cum Sulpicia rogatione provinciam Sullae eriperet, — Minturnis in palude latuit. Inventus et in carcerem coniectus —

*auct. de vir. ill. 77. 7.*

Primus in Hyrcanum, Rubrum et Arabicum mare usque pervenit.

*auct. de vir. ill. 79. 6.*

*Ampel. XIX. 3.*

Scipionem Asiaticum quamvis inimicum haberet, non est passus a tribunis in carcerem duci —

*Ampel. XX. 3.*

Mucius Cordus, qui ignibus manum imposuit.

*Ampel. XVIII. 13.*

— inter ipsos triumphi dies amissis duobus liberis pro contione dixit gratias se agere Fortunae, quod —

*Ampel. XVIII. 14.*

— maluit in exilium ire, quam iurare.

*Ampel. XIX. 6.*

(Livius Drusus) per insidias a Philippo consule interfectus est.

*Ampel. XXVII. 1.*

Coriolanus ob asperiores annonas in exilium actus.

*Ampel. XXVII. 4.*

Manlius Capitolinus, cum pecunia complures debitores liberaret, suspectus regni affectati —

*Ampel. XXVIII. 3.*

*Ampel. XLII. 1.*

— decretam Sullae Ponticam provinciam voluit eripere per rogationem Sulpici tribuni plebis. — Minturnis in palude latuisset, tum coniectus in carcerem —

*Ampel. XLVII. 5.*

Sub hoc enim duce ad Indicum Oceanum et rubrum mare usque pervenit.

*Ampel. XLVII. 7.*

Nec immerito Woelfflinius docet plane novà interdum apud Ampelium deprehendi, quae in libro de vir. ill. frustra quaeras, quamquam eorum non haec sit condicio, ut auctori de vir. ill. repugnent, sed ut illum potius supplere videantur. Quod ad iudicium comprobandum haec exempla proposuit:

*auct. de vir. ill. 31.*

L. Papius, a velocitate Cursor — de Samnitibus triumphavit.

*Ampel. XVIII. 7.*

Papius Cursor: hic Samnites, qui Romanos sub iugum pugnando miserant, victos ignominia pari affectit et a velocitate Cursor est appellatus.

*auct. de vir. ill. 15.*

*Ampel. XVIII. 2.*

quibus exemplis haec addenda sunt:

*auct. de vir. ill. 61. 4.*

Apud Contrebiam oppidum cohortes loco pulsas redire et locum recipere iussit.

*Ampel. XVIII. 14.*

— Contrebiam inexpugnabilem Hispaniae civitatem iussis testamenta scribere et vetitis redire nisi vicissent militibus occupavit.

*auct. de vir. ill. 74. 7.*

Nimius in habitu maxime signorum et tabularum amore flagravit.

*Ampel. XVIII. 18.*

Lucullus, qui Asiaca provinciae spoliis maximas opes est consecutus et aedificiorum tabularumque picturarum studiosissimus fuit.

*auct. de vir. ill. 44.*

P. Scipio Nasica, a senatu vir optimus iudicatus. — Is cum adversum auspicia consulem se a Graccho nominatum comperisset, magistratu se abdicavit. Censor statuas, quas sibi quisque per ambitionem in foro ponebat, sustulit. Consul Delminium, urbem Dalmatarum expugnavit — ab senatu triumphum oblatum recusavit.

*Ampel. XIX. 11.*

Scipio Nasica, qui, quia non rite inauguratus consul videretur, consulatu se abdicavit et domitis Dalmatis oblatum a senatu triumphum repudiavit statuasque, quas sibi quisque in publico posuerat, in censura sua sustulit. Censuit in senatu tamen Carthaginem non esse delendam: propterea optimus iudicatus.

*auct. de vir. ill. 72. 10.*

Idem filium suum, quia praesidium deseruerat, in conspectum suum vetavit accedere.

*Ampel. XIX. 10.*

Scaurus, qui vetuit filium in conspectum suum venire, quia bello Cimbrico deseruerat.

*auct. de vir. ill. 35.*

*Ampel. XXVIII. 3.*

Denique Tzschuckius et Woelfflinius observaverunt et ab Ampelio (XIX. 11) et ab auctore de vir. ill. (c. 44) prave Scipionem Nasicanum patrem cum Scipione Nasica filio confusum



esse. Sed in aliis quoque rebus uterque scriptor idem peccavit; scripserunt enim:

*auct. de vir. ill. 32. 2.*

(Q. Fabius Rullianus) censor libertinos tribubus amovit.

*auct. de vir. ill. 30. 1.*

T. Veturius et Sp. Postumius consules bellum adversus Samnitas gerentes a Pontio Telesino duce hostium in insidias deducti sunt.

*Ampel. XVIII. 6.*

— libertinos e tribubus repurgavit ideoque Maximus cognominatus.

*At cfr. Liv. IX. 46.*

*Ampel. XXVIII. 2.*

Pontius Telesinus, dux Samnitum, qui ad Caudinas furculas Romanos sub iugum misit; cfr. XX. 10.

At cognomen Telesinus non huic Samnitum duci fuit, sed Pontio illi Marii filii socio, qui ad portam Collinam pugnans cecidit (cfr. Plut. Sull. c. 29).

Quibus exemplis apparet eiusdem scriptoris libro Ampelium et nostrum auctorem usos esse, quo ducum illustrium vitae descriptae atque eodem fere ordine, quo ab illis propositae essent (cfr. vitas Metellorum apud auctorem de vir. ill. et apud Ampelium).

---

### CAPUT III.

At quaeritur, unde virorum illorum illustrium vitae fluxerint, quorum Ampelius mentionem non fecit. Qua de re haec fere statuenda sunt:

Auctoris de vir. ill. liber ex duabus partibus constat, quarum altera eaque longe maior ad eum scriptorem referenda est, quem ab Ampelio excerptum esse vidimus. Haec igitur parte continentur haec capita: 1—8, 10—12, 14, 15, 17, 18, 23, 26—28, 30—34, 43—45, 47—49, 56—58, 61—67, 72, 74, 75, 77—82; quibus addiderim haec capita: 13, 19, 24, 25, 29, 35, concedens alia quoque, de quibus certum iudicium fieri non potest, ad illum primum fontem referenda esse videri. Ceterorum capitum, quae altera parte comprehenduntur, varia conditio est, cum alia aperte ex Livio fluxerint, alia ipsa

collocatione, quae temporum ordini repugnet, additicia deprehendantur (cfr. c. 20, 22, 71), de aliis ut supra diximus certum iudicium fieri nequeat. Atque primum de illis capitibus ut ita dicam, suppositis agamus.

## CAPUT IV.

### DE LIVIO.

Priusquam quae capita auctoris nostri ex Livii annalibus fluxerint perscrutemur, pauca de ratione, qua auctor noster et illis et aliorum scriptorum libris usus sit, praemittenda sunt: Primum igitur *Ulrici Koehlerii* sententiam impugno, cui auctor de vir. ill. Livium per totum suum librum iuxta alios scriptores passim adhibuisse videtur et illis, quae e Livii annalibus deprompsisset, alia aliunde petita admiscuisse (cfr. *Ulricus Koehlerius* qua ratione T. Livii annal. usi sint histor. lat. atque graeci. Gotting. 1860, p. 41). Quam coniecturam hoc ipso exemplo, quod Koehlerius ad comprobendam eam proposuit, nos redarguemus. Quid enim? Si propterea, quod nonnulla verba capituli secundi auctoris nostri similia Livianis sunt (lib. I c. 8 sqq.), Livium ab auctore de vir. ill. esse descriptum iudicaverimus, nonne idem de Floro statui necesse erit, cuius multa verba cum eodem auctore nostri capite insigniter concinant? Ex trium igitur scriptorum libris auctor de vir. ill. illud caput hunc in modum composuisse videbitur: *Asylum a Romulo conditum virginesque raptas esse ex Livio (I. 8, 9), haec verba »ludos Consualia simulavit« ex Floro (I. 1, 10 simulatis quippe ludis equestribus) sumpta sunt, narratiuncula autem illa de virgine ad Talassium perducta eiusque nuptiis et bellum Caeninense ex tertio quodam scriptore (cfr. Aldenhovenius Hermes V. 150), bellum Sabinum ex Livio (I. 11 sqq.), haec verba »foedus percussit« ex Floro (I. 1. 14. foedusque percussum) fluxerunt; tres equitum centurias institutas esse a Livio (I. 13), Luceres a Lucumone appellatos esse a tertio quodam scriptore, mors Romuli et haec*

verba »in contionem processit« a Livio (I. 16 in contionem prodit) translata sunt, in colle Quirinali Romulum a Proculo visum esse ex tertio quodam, angustiore forma eum visum esse ex Floro (I. 1, 18 angustiore forma, quam fuisset), templum illi in colle Quirinali constitutum esse ex tertio quodam scriptore sunt hausta. Satis habeo hoc uno exemplo ostendisse, quas in ineptias illo iudicio inducamur, quo Koehlerius auctorem nostrum vitas non tam scripsisse, quam consarcinasse atque conglutinasse statuit.

Qua sententia reiecta nos auctorem de vir. ill. iudicamus non ex complurum scriptorum locis singula capita composuisse, sed, ut supra diximus, longe maiorem, libelli sui partem ex libro de viris illustribus composito excerpisse, nonnullas autem narratiunculas (cfr. c. 22, 46, 36, 86) et paucorum virorum vitas, quae in illo libro defuerunt, totas aut ex Livio aut ex aliis scriptoribus desumpsisse.

Quod autem ad verborum illorum similitudinem attinet, facillime cogitari potest eodem fonte Livium et eum scriptorem, quem auctor de vir. ill. secutus est, et Florum usos esse, veluti caput primum auctoris nostri ex Valerii Antiatii annalibus fluxisse infra demonstrabimus.

Ex Livii libris haec fere capita excerpta esse videntur:

- a) caput IX, quod recte Koehlerius Livio tribuit;
- b) duo illa additamenta ad caput IV (de Horatorum et Curiatorum certamine et Metii Fufetii prodicione), quae ipsa collocatione aliunde atque ipsius Tullii Hostilii vita hausta esse declarantur (cfr. Aldenhovenius Herm. V. 150);
- c) additamentum illud ad caput VII de Tulliae Tarquinique sceleribus (cfr. Aldenh. l. l.);
- d) caput XXII, quod ex Livio manasse propterea conicimus, quod ea verba, quibus Valerius Maximus (I. 8, 2) eandem rem rettulit, et cum Liviani libri XI periocha et cum auctore nostro insigniter concinunt et vero proximum est Valerium Maximum sicut multa alia (cfr. Koehlerius, qua ratione T. Livii annalib. etc. p. 11

Kempfi praefatio ad Valerium Maximum p. 15 sqq.), ita illud quoque exemplum ex Livio excerptisse.

e) Prorsus merito caput XXXVI ad Livium referre mihi videor; scripserunt enim:

<i>auct. de vir. ill. 36.</i>	<i>Valer. Maxim. IX. 1. 2.</i>	<i>Oros. IV. 5.</i>	<i>Flor. I. 16.</i>
Volsinii Etruriae nobile oppidum <i>luxuria paene perierunt</i> . Nam cum temere servos manumitterent, dein in curiam legerent, consensu eorum oppressi.	(Volsiniensium urbs) erat <i>opulenta</i> — Etruriae caput habebatur; sed postquam <i>luxuria</i> prolapsa est, in profundum iniuriarum et turpitudinis decidit, ut servorum se insolentissimae <i>dominationi</i> subiceret.	Volsinienses Etruscorum <i>floridissimi luxuria paene perierunt</i> . Nam cum — servos suos passim liberos facerent, — libertini — liberati servitutis iugo <i>dominationis</i> ambitu arserunt.	Volsinii <i>opulentissimi</i> Etruscorum, implorantes opem adversus servos quondam suos, qui libertatem a dominis datam in ipsos erexerant trans-lataque in se re-publica <i>dominantur</i> .

Valerium Maximum et Orosium et Florum et auctorem nostrum hic eodem fonte usos esse negari nequit, qui sine dubio Livius fuit, quod ex eius annalibus Orosii verba fluxerunt (cfr. Theod. de Moerner, de Orosii vita eiusque histor. libr. VII. adv. pag. p. 112).

f) De Flavio Fimbria haec apud Orosium et auctorem de vir. ill. leguntur:

<i>auct. de vir. ill. 70.</i>	<i>Oros. VI. 2.</i>
C. Flavius Fimbria, <i>saevissimus</i> quippe <i>Cinnae</i> satellites Valerio Flacco consuli legatus in Asiam profectus per simultatem dimissus corrupto exercitu ducem interficiendum curavit.	Interea Fimbria <i>Marianorum scelerum</i> satellites homo omnium <i>audacissimus</i> Flaccum consulem, cui legatus ierat, apud Nicomediam occidit.

Cum cetera quoque, quae Orosius et auctor de vir. ill. de Flavio Fimbria rettulerunt, plane inter se congruant atque etiam singula alterius verba alteri respondeant, aperte auctor noster cum Orosio (cfr. Theod. de Moerner l. l. p. 132) Livium secutus est. Perversa autem Keilii sententia, qui in editione sua monuit et Appianum et nostrum auctorem de morte Fimbriae a Plutarcho et Orosio dissentire, quod hi apud Thy-

tiram, illi Pergami obsessum a Sulla Fimbriam se interfecisse traderent. At Appianus (bell. Mithr. c. 60) eum non Pergami, sed alio loco, quem ipse non designavit (quamquam sine dubio Thyatiram in mente habuit), a Sulla esse obsessum et cum inde Pergamum refugisset, ibi in templo Aesculapii se interfecisse scripsit. Quid autem aliud apud Orosium legimus, qui fugae Fimbriae mentione non facta in templo Aesculapii semet occidisse eum rettulit? Solus igitur auctor de vir. ill. maxime peccavit, quod contra fontis sui auctoritatem Fimbriam Pergami obsessum esse scripsit.

Haec igitur capita aperte et sine dubio ex Livii annalibus fluxerunt; de aliis autem suspicari tantum licet, cum certa Livii vestigia in iis non appareant. Verum tamen comparatione Ampelii cum auctore nostro instituta, ut supra diximus, optimum adiumentum ad eam rem diiudicandam nobis praebetur, cum virorum ab Ampelio descriptorum vitae omni suspitione careant, ceterae summa diligentia circumspiciendae sint.

Quare Koehlerio adversamur Sp. Postumii (c. 30) et Papirii Cursoris (c. 31) et Claudii Neronis vitas (c. 48) ex Livii libris esse excerptas affirmanti. Nequaquam enim totum caput XXX., ut Koehlerio videtur, ex illis fluxisse neque Livium omnino ibi adhibitum esse hinc apparet, quod Samnitum ille dux, quem Livius omnesque ceteri scriptores Pontium appellant, et ab Ampelio et ab auctore de vir. ill. Pontius Telesinus vocatur, quamobrem diversum a Livio fontem esse secuti declarantur. Ex eodem igitur fonte Papirii Cursoris et Claudii Neronis vitae fluxerunt. T. Quintii Flaminini (c. 41) et L. Cornelii Scipionis (c. 53) vitae, quas Koehlerius ad Livium refert, apud Ampelium desunt; in neutra tamen Livii aperta vestigia deprehenduntur.

De duobus aliis autem capitibus quid sit iudicandum etiamnunc dubito. Primum enim capitulum XXXIX, haec verba cum Orosio concinunt:

*auct. de vir. ill. 39.*

(A. Atilius Calatinus) totam Siciliam pervagatus paucis navibus magnam hostium classem duce Hannibale superavit.

*Oros. IV. 8.*

Atilius consul Liparam Melitamque insulas Siciliae nobiles pervagatus evertit.

Orosius autem hac re plane a Livio dissentit, quod ipse Hannibalem seniore lapidibus obrutum a militibus esse rettulit, cum in periocha libri Liviani XVII in crucem illum sublatum esse legamus. Utrum igitur ex Livio an ex alio scriptore Orosii et auctoris de vir. ill. illa verba fluxerint, parum mihi liquet (cfr. Th. de Moerner l. l. p. 114).

Deinde de M. Atilio Regulo haec Valerius Maximus et auctor noster scripserunt:

*auct. de vir. ill. c. 40.*  
— in arcam ligneam coniectus  
clavis introrsum adactis vigiliis ac  
dolore punitus est.

*Val. Maxim. IX. 2. 1.*  
Carthaginienses Atilium Regulum  
palpebris resectis machinae, in qua  
undique praeacuti stimuli eminebant,  
inclusum vigilantia pariter et conti-  
nuo tractu doloris necaverunt.

Cum Peterius (reliqu. hist. Rom. p. 144) Valerium Maximum ex Livio sua hausisse merito mihi conicere videatur, ex eodem nostri auctoris illud caput excerptum esse vero proximum est.

Denique de capite XXXVIII paullum inferius agemus.

---

## CAPUT V.

### DE FLORO.

*Spengelius* (acta academ. Monac. XXXVI. cl. IX. 1863 p. 317) recte monuit multis locis Florum et auctorem de vir. ill. ad verbum inter se congruere multasque res ab iis scriptoribus aut solis aut diverse a pervulgata annalium memoria narrari, quare Florum ab auctore nostro descriptum esse indicavit. Ex maximo autem illorum locorum numero hos proposuit:

*auct. de vir. ill. 64.*  
Deinde cum prorogare sibi po-  
testatem vellet, adversis auspiciis in  
publicum processit statimque Capito-  
lium petiit manum ad caput referens,  
quo salutem suam populo commen-

*Florus II. 2.*  
— cum ad perpetranda coepta die  
comitiorum prorogari sibi vellet im-  
perium, — — inde cum in Capito-  
lium profugisset plebemque ad de-  
fensionem salutis suae manu caput

dabat. Hoc nobilitas ita accepit, quasi diadema posceret.

*auct. de vir. ill. 73.*

— ut satellitem suum Glauciam praetorem consulem faceret Memmium competitorum eius in campo Martio necandum curavit. Marius — Saturninum et Glauciam in Capitolium persecutus obsedit maximoque aestu incisis fistulis in deditionem accepit.

*auct. de vir. ill. 84.*

— cum mari feliciter uteretur, Neptuni se filium confessus est eumque bobus auratis et equo placavit.

*auct. de vir. ill. 85.*

— vix tertiam partem de XV legionibus in Aegyptum perduxit.

*auct. de vir. ill. 48.*

actumque de Romano imperio erat, si iungere se Hannibali potuisset.

*auct. de vir. ill. 55.*

Cn. Manlius Vulso — cupidine triumphi bellum Pisidis et Gallograecis, qui Antiocho adfuerant.

*auct. de vir. ill. 71.*

— ob paupertatem primo mercenarius, deinde alacritate venator, audacia latro, ad postremum dux —

*auct. de vir. ill. 76.*

Mithridates, rex Ponti, oriundus a septem Persis —

*auct. de vir. ill. 79.*

dictator in perpetuum factus, a senatu ob res gestas Divus Augustus est appellatus.

quibus haec exempla addiderim:

*auct. de vir. ill. 2.*

Romulus foedus percussit et Sabinos in urbem recepit.

tangens hortaretur, praebuit speciem regnum sibi et diadema poscentis.

*Flor. II. 4.*

— ut satellitem furoris sui Glauciam consulem faceret, P. Memmium competitorum interfici iussit — — pulsus inde Capitolium invasit; sed cum abruptis fistulis obsideretur etc.

*Flor. II. 18.*

ob haec tot prospera centum bobus auratis Peloro litavit spirantemque equum cum auro in fretum misit; dona Neptuno hoc putabant, ut etc.

*Flor. II. 20.*

sic vix tertia parte de XVI legionibus reliqua —

*Flor. I. 22. 50.*

actum erat procul dubio si vir ille se cum fratre iunxisset.

*Flor. I. 27.*

fuerint inter auxilia regis Antiochi an fuisse cupidus triumphi Manlius Vulso simulaverit, dubium.

*Flor. I. 33.*

— qui ex venatore latro, ex latrone subito dux atque imperator —

*Flor. I. 40.*

Artabazes, a septem Persis oriundus, inde Mithridates.

*Flor. II. 34.*

ob haec tot facta ingentia dictator perpetuus et pater patriae etc.

*Flor. I. 1. 14.*

sic pax facta cum Tatio foedusque percussum.

*auct. de vir. ill. 20.*

— quarum plebeia cum sorore salutaret, cuius vir tribunus militum consulari potestate erat, fasces lictorios foribus appositos expavit. Indecenter a sorore irrisa —

*auct. de vir. ill. 23.*

— nobilissimos senum in curulibus et honorum insignibus primo ut deos venerati, deinde ut homines despicati interfecere.

*auct. de vir. ill. 43.*

Hannibalem mora fregit.

*auct. de vir. ill. 54.*

nimia opum fiducia bellum Romanis intulit, specie Lysimachiae rependendae, quam a maioribus suis in Thracia conditam Romanipossidebant; statimque Graeciam insulasque eius occupavit. In Euboea luxuria elanguit.

*auct. de vir. ill. 77.*

Lepidum acta Sullae rescindere volentem privatus Italia fugavit.

*Flor. I. 17. (I. 26.)*

— quae quodam tempore, quod lictoriae virgae sonum ignotum penatibus suis expaverat, a sorore satis insolenter irrisa —

*Flor. I. 7. 14*

ibi sedentes in curulibus suis praetextatos senes velut deos geniosque venerati, mox eosdem postquam esse homines liquebat adlocuti nihil respondere dignantes pari vaecordia mactant.

*Flor. I. 22. 28.*

sic maceravit Hannibalem, ut, qui frangi virtute non poterat, mora comminueretur.

*Flor. I. 24. 6.*

suis opibus et nomine regio fretus satis habuit bellum movere — Lysimachiam urbem in litore Thracico positam a maioribus suis Antiochus ut hereditario iure repetebat — occupatis statim insulis Graeciaeque litoribus otia et luxus quasi victor agitabat. Euboeam insulam etc.

*Flor. II. 11.*

— Lepidus acta tanti viri rescindere parabat.

Deinde praeter auctorem de vir. ill. solus Florus narravit in proelio apud Regilli lacum commisso magistrum equitum frenos equis detrahi iussisse (auct. d. v. i. 16 — Flor. I. 5), Manlium Capitolinum auctorem confugiendi in Capitolium fuisse (auct. d. v. i. 24 — Flor. I. 7), a Curio et Fabricio Pyrrhum apud Asculum victum esse (auct. d. v. i. 35 — Flor. I. 13 cfr. Ampel. 28, 3), Atilium Calatinum Drepanum et Lilybaeum expugnasse (auct. d. v. i. 39 — Flor. I. 18, 12), Lysimachiae urbis recuperandae causa Antiochum bellum Romanis intulisse (auct. d. v. i. 54 — Flor. I. 24), Viriatum cum Popillio in Hispania bellum gessisse (auct. d. v. i. 71 — Flor. I. 33, 17), ab Apuleio Saturnino Equitum subornatum esse, qui se Tib. Gracchi filium fingeret (auct. d. v. i. 73 — Flor. II. 4), Pom-



peium sub oculis liberorum suorum occisum esse (auct. d. v. i. 77 — Flor. II. 13, 52), M. Antonium, non L. Antonium, bellum Perusinum excitasse eundemque pacem cum S. Pompeio factam rupisse (auct. d. v. i. 84, 85 — Flor. II. 16, II. 18).

Denique Spengelius ostendit vitas C. Marcii Coriolani et C. Licinii Stolonis et L. Virginii ab auctore de vir ill. perturbato temporis ordine connexas esse, similiter atque Florus capite XVII prioris libri de illorum virorum deinceps seditiōnibus exposuit.

Haec autem ratio inter Florum et auctorem nostrum videtur intercedere:

Multorum auctoris nostri et Flori verborum similitudo hinc est profecta, quod uterque scriptor Livii annalibus usus est; deinde praeter Livium alterum communem fontem illi adierunt; denique in dubio relinquitur, utrum ex Floro an ex his fontibus alia auctoris nostri capita fluxerint. Livium igitur Floro pro praecipuo fonte fuisse, unde hauriret, Spengelius et Heynius (de Floro historico Bonnae 1866 p. 6) et Koehlerius docuerunt; auctorem de vir. ill. autem Livii libris usum esse nos supra comprobavimus. Quid mirum igitur, si multis locis Flori et auctoris nostri verba plane concinunt? Ita bellum Volsiniense Valerium Maximum et Orosium et Florum et auctorem nostrum iisdem fere verbis persequi vidimus, quippe qui omnes ex Livio sua hauserint. Ex eodem et haec, quae Florus et auctor de vir. ill. de rebus a C. Duilio consule gestis rettulerunt, fluxisse proximum vero est:

*auct. de vir. ill. 38.*

C. Duilius primo Punico bello dux contra Carthaginienses missus cum videret eos multum mari posse, classem magis validam, quam decoram fabricavit; et manus ferreas cum irrisu hostium primus instituit — Duilio concessum est, ut praelucente funali et praecinente tibicine a coena publice rediret.

*Flor. I. 18.*

Duilio Cornelioque consulibus etiam mari congredi ausus est; tum quidem ipsa velocitas classis comparatae victoriae auspiciū fuit. Intra enim LX diem, quam caesa silva fuerat, CLX navium classis in ancoris stetit, ut non arte factae, sed quodam munere deorum conversae in naves atque mutatae viderentur — iniectae enim ferreae manus machinaeque validae ante certamen multum ab hoste derisae — Duilius imperator

non contentus unius diei triumpho  
per vitam omnem, ubi a cena rediret,  
praelucere funalia et praecinere sibi  
tibias iussit —

. Manus ferreas ante certamen derisas ab hostibus esse, nemo praeter Florum et auctorem de vir. ill. tradidit; miratos autem esse Carthaginienses illas machinas apud Polybium legimus (I. 23 *ξενζόμενοι ταῖς τῶν ὀργάνων κατασκευαῖς*). Sed cetera, quae auctor de vir. ill. refert quaeque artissime cum illis »cum irrisu hostium« cohaerent, C. Duilium ipsum classem fabricandam curasse primumque manus ferreas instituisse, neque ex Floro sumpta sunt et congruunt cum Zonara (VIII. 11), apud quem haec legimus: *Δουίλιος — καταμαθὼν τὰς ναῦς τῶν Καρχηδονίων — τῷ τάχει δὲ τῆς εἰρησίας καὶ τῇ ποικιλίᾳ τοῦ πλοῦ προεχούσας, μηχανὰς ἐπὶ τῶν τριηρῶν — κατασκεύασεν —* et cum his *Orosii* (IV. 7, 13) verbis: Romani et ipsi classem *fabricari* et instrui praeceperunt, quod Duilius consul celeriter implevit. Nam intra LX diem, quam arbores caesae erant, CXXX navium classis deducta in ancoris stetit — et cum his *Frontini* (lib. strategem. II. 3, 24): *C. Duilius cum videret graves suas naves mobilitate Punicae classis eludi — excogitavit manus ferreas.* — *Orosium* ex Livio sua hausisse *Moernerius* (l. l. p. 113) recte statuit neque dubitari potest, quin ea similitudo, quae inter illa verba Flori et *Orosii* intercedit, — ut ipsius *Moernerii* verbis utar (l. l. p. 140) — non tam ex illo ab hoc usurpato, quam e communi utriusque fonte explicanda sit (cfr. etiam *Plin.* h. n. XVI. 192). Manus ferreas igitur ab hostibus derisas esse ex eodem Livio sumptum et Florus et auctor noster referunt, classem et machinas a Duilio primo institutas solus auctor de vir. ill. ex Livii annalibus deprompsit. Insuper de honoribus Duilio habitis Liviani libri XVII periocha et *Valerius Maximus* (sine dubio Livium secutus) plane cum auctore nostro et Floro his verbis congruunt:

*Val. Max. III. 6. 4.*

quotiescumque epulatus erat, ad funalem cereum praeceunte tibicine et fidicine a coena domum reverti solitus est.

*Liv. libr. XVII. perioch.*

ei perpetuus quoque honos habitus est, ut revertenti a cena tibicine canente funale praeferretur.

Cum igitur ea, quae et auctor de vir. ill. et Florus de bello Volsiniensi deque rebus a Duilio gestis tradidit ex Livio fluxisse et inde verborum illam similitudinem esse profectam appareat, prorsus merito alios quoque auctoris nostri locos, quos Spengelius et Heynius ex Floro excerptos esse coniciunt, ad Livium referre mihi videor.

Praeter hunc autem scriptorem altero communi fonte, ut supra diximus, Florus et auctor de vir. ill. usi sunt. Quod iudicium his exemplis comprobabimus:

<p><i>auct. de vir. ill. 13.</i> Porsenna Cloeliam virginem nobilem inter obsides accepit; quae deceptis <i>custodibus noctu</i> castris eius <i>egressa equum</i>, quem fors dederat, arripuit et Tiberim traiecit.</p>	<p><i>Flor. I. 4. 8.</i> una ex obsidibus regidatis <i>elapsa custodiae</i> Cloelia per patrium flumen <i>equitabat</i>.</p>	<p><i>Valer. Max. III. 2. 2.</i> inter ceteras enim virgines obses Porsennae data nocturno tempore custodiam egressa equum conscendit celerique traiectu fluminis non solum obsidione, sed etiam metu patriam solvit.</p>
--	--	---

Equo vectam Cloeliam Tiberim traiecisit praeter tres illos scriptores Plutarchus (Publicol. 19), noctu autem eam fugisse nemo praeter auctorem nostrum et Valerium Maximum rettulit. Quare ex communi fonte (haud scio an ex Valerio Antiate, cfr. Peterius de fontibus Plutarchi p. 49) Valerii Maximi et Flori et auctoris de vir. ill. verba fluxisse manifestum est.

De Mucio Scaevola haec traduntur:

<p><i>auct. de vir. ill. 12.</i> Mucius <i>Cordus</i> — in castra Porsennae venit ibique <i>purpuratum pro rege deceptus occidit</i>. Apprehensus et ad regem pertractus dextram aris imposuit hoc supplicii a rea exigens, <i>quod in caede peccasset</i>.</p>	<p><i>Flor. I. 4.</i> Mucius Scaevola regem per insidias in castris ipsius adgreditur, sed ubi <i>frustrato circa purpuratum eius ictu</i> tenetur, ardentibus focus inicit manum terroremque gemitat dolo; en, ut scias, inquit, quem virum effugeris —</p>	<p><i>Valer. Max. III. 3. 1.</i> — castra eius clam ferro cinctus intravit imolantemque ante altaria conatus occidere est. Ceterum inter molitionem pii pariter ac fortis propositi oppressus nec caussam adventus texit et tormenta quantopere contemneret, mirapatientia ostendit. Perosus enim credo dexteram suam, <i>quod eius ministerio in caede regis uti nequisset</i>, iniectam foculo exuri passus est.</p>
---	--	--

Auctorem de vir. ill. et Florum et Valerium et Ampelium (cfr. 20. 3 Mucius *Cordus*, qui ignibus manum imposuit) ex eiusdem scriptoris libro hausisse sua et similitudine verborum et hac re declaratur, quod Cordum cognomen Mucio praeter auctorem nostrum et Dionysium (V. 27) solus Ampelius indidit et quod manum non terrendi regis caussa, sed irrito conatu iratum aris illum imposuisse praeter auctorem nostrum (et Senecam ep. 24. 5) solus Valerius scripsit.

In proelio Regillensi describendo Florus (I. 5) et auctor de vir. ill. (cfr. 16) magistrum equitum frenos equis detrahi iussisse narraverunt; quibuscum nemo ceterorum scriptorum consentit (c. Liv. II. 19 et Dionys. VI. 12, apud quem haec leguntur: *αὐτὸς (ὁ δικτάτωρ) ἄμα τοῖς κρατίστοις ἐπὶ τὸ στίφος ᾤθειται κάπειδῆ πλησίον τῶν πολεμίων ἐγένετο, πρῶτος εἰς-ελαύνει τὸν ἵππον ἀφειμένων τῶν χαλινῶν*). Sed tamen Florus paulum inferius ad auctorem nostro maxime discrepat; primum enim illud, quod apud Florum legimus Dioscuros praetervolasse siderum more, neque cum his auctoris nostri verbis »insigni virtute apparuerunt« neque cum Dionysio (VI. 13 *παίοντες τοῖς δόρασι καὶ προτροπάδην ἐλαύνοντες*) neque cum Valerio Maximo (I. 8. i. Romanarum partium propugnatores visi hostiles copias penitus fuderunt) convenit, sed Flori ingenio esse fictum apparet. Deinde castra hostium capta esse non Florus, sed auctor noster et Livius (II. 20) et Dionysius (VI. 12) rettulerunt. Denique si haec Flori verba »templa promisit et reddidit plane quasi stipendium commilitonibus diis« cum illis, quae apud nostrum auctorem leguntur »quos dictator quaesitos, ut dignis muneribus honoraret, non repperit« comparaverimus, dubium non erit, quin auctor noster eundem scriptorem, cuius librum Florus adhibuerit, summa fide secutus sit, Florus autem ex suo ingenio illius scriptoris verba violeptè immutaverit atque in deterius detorserit; nam et in eo peccavit, quod magistrum illum equitum Cossum pro T. Aebutio appellavit (cfr. Dionys. VI. 12, Liv. II. 19) sine dubio hac re deceptus,

quod Cornelius Cossus sub dictatore Mam. Aemilio idem adversus Fidenates fecit, quod ille proelio Regillensi contra Latinos (cfr. Front. II. 8, 10). Ceterum pronuntiata militibus a dictatore esse praemia, qui primus, qui secundus castra hostium intrasset, Livius memoriae prodidit, et haec apud Calpurnium Pisonem (Plin. nat. hist. 33, 38) legimus: A. Postumius dictator apud lacum Regillum castris Latinorum expugnatis ei, cuius maxime opera capta essent, hanc coronam ex praeda dedit — quae plane cum auctore nostro concinunt. Atque Dionysius auctori nostro assensus post proelium commissum Dioscurorum divinam naturam a Romanis intellectam et gratiae persolvendae causa templum iis dedicatum, non promissum inter pugnandum esse scripsit. Postremum Florus minus accurate de templis Dioscurorum verba fecit, auctor de vir. ill. autem prorsus merito (cfr. Liv. II. 20) communi titulo unam aedem iis dedicatam esse rettulit.

Tum de P. Cornelii Scipionis Africani continentia haec legimus:

*apud auct. de vir. ill. 49.*

virginem pulcherrimam, ad cuius conspectum concurrebatur, ad se venit adduci patrique eius ac sponso restituit.

*apud Flor. I. 22. 40.*

— quippe qui captivos pueros puellasque praecipuae pulchritudinis barbaris restitueret ne in conspectum suum quidem passus adduci, ne quid de virginitatis integritate delibasse saltem oculis videretur.

Omnes ceteri scriptores, qui illius rei mentionem faciunt, a Floro et auctore de vir. ill. ea re valde dissentiunt, quod virginem illam Hispanam aut adductam ad Scipionem inviolatamque patri redditam esse (cfr. Liv. 26, 50; Gell. n. Att. 6, 8; Polyb. 10, 19; Frontin. II. 11, 5) aut simpliciter postquam nobili iuveni desponsam illam comperisset, a Scipione restitutam parentibus esse scripserunt (cfr. Val. Max. IV. 3, 1; Dio Cass. fr. 57, 43). Cum autem auctor noster non de pueris puellisque pulchris verba faciat, sed de una certaque virgine, deinde patri et sponso redditam illam esse contendat, id quod in Floro frustra quaeras, aperte narratiunculam illam non ex Floro, sed et Flori fonte hausit.

Denique de Man. Curii Dentati abstinencia haec scripserunt:

*auct. de vir. ill. 33.*

legatis Samnitum aurum offerentibus, cum ipse in foco rapas torreret, Malo, inquit, haec in *ficilibus* meis esse et aurum habentibus imperare.

*Flor. I. 13. 22.*

Cum Curius *ficilia sua* Samnitico praeferret auro —

Ficilia sua auro Samnitico Curium praetulisse praeter Florum et auctorem nostrum solus Ampelius rettulit, qui ad verbum cum auctore de vir. ill. consentit; Valerius Maximus (IV. 3, 2) autem Livium, ut opinor, secutus Curium e ligneo catillo caenantem cum Samnitum legatis collocutum esse commemoravit. Ex communi igitur fonte Florus et auctor de vir. ill. et Ampelius sua deprompserunt, quem Cornelium Nepotem fuisse infra demonstrabimus.

Quibus exemplis alia pauca non addere non possumus, quibus et aliquot locos, quos Spengelius falso ex Floro excerptos esse opinatur et alia auctoris nostri capita ex Flori fonte fluxisse comprobemus, quamquam Liviane ex iis libris, qui nobis perierunt, an ex altero illo fonte communi illa emanaverint argumentis diiudicari nequit.

Ita de Tib. Gracchi exitio haec scripserunt:

*auct. de vir. ill. 64. 6.*

Deinde cum *prorogare sibi potestatem vellet*, adversis auspiciis in publicum processit statimque Capitolium petiit manum ad caput referens, quo salutem suam populo commendabat. Hoc nobilitas ita accepit, *quasi diadema posceret*; segniterque cessante Mucio consule Scipio Nasica sequi se iussis, qui salvam rem publicam vellent, Gracchum in Capitolium persecutus *oppressit*.

*Flor. II. 2. 7.*

Cum ad perpetranda coepta die comitiorum *prorogari sibi vellet imperium* obvia nobilitas — cedere a foro coegit; inde cum in Capitolium profugisset plebemque ad defensionem salutis suae manu caput tangens hortaretur, praebuit speciem regnum sibi et *diadema poscentis* atque ita duce Scipione Nasica concitato in arma populo quasi iure *oppressus est*.

Spengelii sententiae haec repugnant, quod auctoris de viris ill. illa verba »adversis auspiciis« neque sumpta ex Floro neque ex libidine addita sunt (cfr. Plut. Tib. Gracch. 17, Val. Max. I. 4, 2) et quod illa »hoc nobilitas ita accepit« parum cum Floro, plane autem cum Plutarcho (Tib. Gracch. 19) concinunt, apud quem haec leguntur: *οἱ δ' ἐναντίοι τοῦτο ἰδόντες ἔδειον*

πρὸς τὴν βουλὴν ἀπαγγέλλοντες αἰτεῖν διάδημα τὸν Τιβέριον — quibus Plutarchi verbis non Flori proprium esse illud »diadema poscere« ostenditur. Denique Mucium consulem noluisse Gracchum vi aggredi, non Florus, sed auctor de vir. ill. et Plutarchus (Tib. Gracch. 19) et alii scriptores commemoraverunt.

Atque de C. Gracchi seditione haec apud auctorem nostrum et Florum relata leguntur:

<p><i>auct. de vir. ill. 65. 5.</i> Minucio Rufo tribuno plebis legibus suis obrogante in Capitolium venit.</p>	<p><i>Flor. II. 3.</i> obrogare auso legibus suis Minucio tribuno plebis fretus comitum manu fatale familiae suae Capitolium invasit.</p>
---	---

Quamquam praeter Florum et Orosium solus auctor de vir. ill. Minucii tribuni plebis nomen tradidit, tamen ex Floro pendere auctorem nostrum negamus, quod cognomen Rufum a Floro et Orosio omissum Minucio indidit, deinde quod haec Flori verba »Capitolium invasit« minus cum historia conveniunt, quam illa, quae apud auctorem nostrum sunt »in Capitolium venit« (cfr. Appian. I. 25 ἀνέβαινεν εἰς τὸ Καπιτώλιον, Oros. V. 12 Capitolium ascendit).

Deinde ex communi fonte haec fluxisse in oculos incurrit, quae Valerius Maximus et auctor de vir. ill. et Florus de superbia M. Livii Drusi tribuni plebis scripserunt:

<p><i>auct. de vir. ill. 66.</i> consuli legibus agrariis resistenti ita collum in comitio obtorsit, ut multus sanguis efflueret e naribus; quam ille luxuriam exprobrans muriam de turdis esse dicebat.</p>	<p><i>Flor. II. 5.</i> ausus tamen obrogare legibus consul Philippus, sed apprehensum faucibus viator non ante dimisit, quam sanguis in os et oculos redundaret.</p>	<p><i>Val. Max. IX. 5. 2.</i> Parvi enim habuit L. Philippum consulem, qui interfari se contionantem ausus fuerat, obtorta gula et quidem non per viatorem, sed per clientem suum adeo violenter in carcerem egisse, ut multus e naribus eius cruor profunderetur.</p>
--	--	--

Denique de morte atque sepultura Pompei haec leguntur:

<p><i>auct. de vir. ill. 77.</i> Huius latus sub oculis uxoris et liberorum a Septimio Ptolemaei prae-</p>	<p><i>Flor. II. 13. 52.</i> — ut denique Pelusio litore — Septimii de- sertoris sui gladio tru-</p>	<p><i>Lucan. Phars. VIII.</i> v. 618. mucrone latus funestus Achilles perforavit.</p>
--	---	---

fecto mucrone confossum est. Jamque defuncti caput gladio praecisum, quod usque ad ea tempora fuerat ignoratum. Truncus Nilo iactatus a Servio Codro rogo inustus humatusque est inscribente sepulcro: Hic positus est Magnus. Caput ab Achilla, Ptolemaei satellite Aegyptio velamine involutum cum annulo Caesari praesentatum est; qui non continens lacrimas illud plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum curavit.

cidatus *sub oculis uxoribus* *suae liberorumque* more-  
retur.

v. 672. nondum artis erat caput ense rotare.

v. 698. truncusque vadosis huc illuc iactatur aquis.

v. 792. inscripsit nomen: hic situs est Magnus.

v. 1010. sed dira satellites regis dona ferens — colla gerit Magni Phario velamine tecta.

v. 1091. iusta data tura sepulcro et placate caput.

Cfr. Valer. Maxim. V. 1, 10: caput autem plurimis et pretiosissimis odoribus cremandum curavit. — Non adhibitis Lucani versibus *Woelfflinius* acute arguteque haec coniecit: quominus Pseudoaurelium illud caput ex diversis scriptorum locis consarcinasse credibile est, eo magis Valerium Florum Ampelium sua ex integro libro de vir. ill. hausisse ad veri similitudinem accedit. Profecto, si Lucani versus illos cum auctore nostro comparaverimus, quin recta *Woelfflinii* sententia sit, dubitare non poterimus.

Ac quidem Ampelium adisse communem illum fontem Flori et auctoris nostri his duobus exemplis comprobabimus:

*auct. de vir. ill. 77.*  
Mox piratas intra XL diem subegit, Tigranem ad deditionem, Mithridatem ad venenum compulit. Deinde mira felicitate nunc in septentrione Albanos, Colchos, *Heniochos*, Caspios, Hiberos, nunc in oriente Parthos, Arabas atque Iudaeos cum magno sui terrore

*Flor. I. 40.*  
— at in septentrione — Colchos cecidit, ignovit Hiberiae, pepercit Albanis. — — nec non in meridiem verso agmine — Romana signa circumtulit. Arabes, si quid imperaret praesto fuere; Hierosolyma defendere temptavere Judaei; — exceptis quippe Par-

*Amp. XVIII. 19.*  
Pompeius; qui Armenios sub rege Tigra-  
ne, Ponticos sub rege Mithridate, Cilicas toto mari dominantes intra XL diem vicit et magnam partem Asiae inter Oceanum Caspium Rubrumque victoriis suis triumphisque peragravit.  
XLVII. 5 — per Pom-



penetravit. Primus in Hyrcanum Rubrum et Arabicum mare usque pervenit.

this, qui foedus maluerunt et Indis qui adhuc nos nec noverant, omnis Asia inter Rubrum et Caspium et Oceanum Pompeianis domita vel oppressa signis tenebatur.

peium item eosdem Ponticos et Mithridatem, item Cilicas piratas et Armenios cum rege Tigrane et plurimas Asiaticas gentes; sub hoc enim duce ad Indicum Oceanum et rubrum mare usque pervenit.

Heniochos a Pompeio subactos esse non Florus, sed cum auctore nostro *Lucanus* (II. 585) et *Diodorus* (XL. 4 Ἀχαιοὺς Ἰοζυγοῦς Σοανοῦς Ἡνιόχου — καὶ πάντα τὰ ἔθνη τὰ ἔντος τῆς Ποντικῆς καὶ τῆς Ἐρυθρᾶς κατοικοῦντα) et *Velleius Paterculus* (II. 40, 1 Colchos Heniochosque et Achaeos) rettulerunt.

Denique haec scripserunt:

*auct. de vir. ill. 79.*

Huic Parthi signa, quae Crasso sustulerant, ultro reddiderunt. Indi, Scythae, Sarmatae, Daci, quos non domuerat, dona miserunt. Jani gemini portas his ante se clausas, primo sub Numa, iterum post primum Punicum bellum sua manu clausit. Dictator in perpetuum factus a senatu ob res gestas Divus Augustus est appellatus.

*Flor. II. 34.*

nam et Scythae misere legatos et Sarmatae amicitiam petentes. Seres etiam habitantesque sub ipso sole Indi — Parthi quoque, quasi victoriae paeniteret, rapta clade Crassiana signa ultro rettulere — aususque tandem Caesar Augustus DCC ab urbe condita anno Janum geminum cludere bis ante se clusum sub rege Numa et victa primum Carthagine. — ob haec tot facta ingentia dictator perpetuus et pater patriae dictus; — sanctius et reverentius visum est nomen Augusti.

*Ampel. XLVII. 7.*

— totumque orbem perpacavit exceptis Indis, Parthis, Sarmatis, Scythiis, Dacis, quod eos fortuna Traiani principis triumphis reservavit.

XVIII. 21 — perpacatis omnibus provinciis exercitus toto orbe terrarum disposuit et Romanum imperium ordinavit, post cuius consecrationem perpetua Caesarum dictatura dominatur.

Nemo ceterorum scriptorum Sarmatas ad Octavianum legatos misisse eundemque dictatorem in perpetuum dictum esse commemoravit; Ampelius autem et auctor de vir. ill. gentibus ab Octaviano non domitis Dacos addiderunt, a Floro propterea

omissos, quod uno praecedentium capitum bellum Dacicum separatim exposuerat.

Cum igitur Florum et auctorem de vir. ill. duobus communibus fontibus, Livii annalibus et alterius scriptoris libro de vir. ill., ut opinor, composito esse usos appareat et hinc multorum auctoris nostri locorum concentum cum Floro proficisci, ad extremum denique quaeritur, num auctor noster, sicut et Livium et Livii fontes excerpserit, ita praeter Flori fontes Florum ipsum adierit. Quam quaestionem cum equidem dissolvere non audeam, tamen haud plura, quam haec tria capita: 54, 84, 85 ad Flori auctoritatem esse referenda censeo, quamquam haec ipsa eodem fere iure illi abrogari possunt.

---

## CAPUT VI.

### DE CORNELIO NEPOTE.

In libro de excellentibus ducibus exterarum gentium, quem alii Aemilio Probo, alii prorsus merito Cornelio Nepoti adixerunt, multi loci inveniuntur, qui singulis Ampelii verbis accurate respondeant. Quos *Rinckius* (prolegom. ad Aemil. Prob. edt. C. L. Rothius p. 13) collegit atque cum *Tzschuckio* (dissertat. de Ampel. 7) et *Beckio* (in edition. Ampel. p. 75) ab Ampelio vitas illas exscriptas esse censuit. Quam sententiam *Woelfflinius* quoque amplexus est ita, ut cap. XIV, XV, XXXII Ampelii ex Nepote fluxisse statueret dubitans, an alia capita ad eundem scriptorem pertinerent (*Woelffl.* de Ampelii libro memoriali qu. crit. et hist. p. 42). Hac ipsa re, priusquam argumentorum momenta mihi in promptu fuerunt, adductus sum, ut Ampelium sicut exterarum gentium ducum, ita Romanorum quoque imperatorum vitas e Cornelio Nepote deprompsisse arbitrarer, cum intellegere non possem, cur in ipsis Romanorum vitis Ampelius a Nepote, quem virorum, illustrium Romanorum vitas scripsisse inter omnes constat, plane discederet, ita tamen, ut in insequentibus capitibus iterum illum ad Nepotis libros refugisse appareat. Quid autem? Num Ampelium singula

capita ex Nepotis et alterius scriptoris locis composuisse nobis persuadebimus? Quam ad sententiam eos accedere necesse est, qui Woelfflinium secuti non ad Cornelium Nepotem, sed ad Julium Hyginum nostri auctoris librum rettulerint. Ampelius enim (cap. XXVIII), ut supra diximus, eodem errore, quo auctor de vir. ill. captus Samnitum illum ducem Pontium Telesinum pro Pontio appellavit eiusque nonnulla alia verba cum auctore nostro prorsus concinunt (cfr. *auct. de vir. ill.* 35. ad vicesimum ab urbe lapidem castra posuit; — a Curio et Fabricio superatus; *Ampel.* ad vicesimum ab urbe lapidem pervenit, mox a Curio et Fabricio victus); sed illa, quae in eodem capite de Hannibale narrantur, aperte ex Nepote fluxerunt (cfr. *Ampel.* minor annorum XXV imperator factus triennio in Hispania vicit et eversione Sagunti rupto foedere; *Nepos Hannib.* 3: minor XXV annis natus imperator factus proximo triennio omnes gentes Hispaniae bello subegit, Saguntum foederatam civitatem vi expugnavit — pro »Laternium« autem vel »Listernum«, quae lectiones in codice Monacensi exstant, sine dubio »Clastidium« legi debet). Quid igitur vero propius videtur esse, quam totum illud caput ex integro illo Nepotis libro de vir. ill. haustum esse, cuius partem longe maiorem iniuria temporum nobis interiisse dolemus? At audiamus, quibus de caussis Woelfflinius ducum Romanorum res gestas Ampelium ex Nepote desumpsisse negaverit! Nepotis Hannibal, inquit, in nonnullis ab auctore de vir. ill. discrepat; cuius auctoris vitas cum ex eodem fonte, quo Ampelius in describendis ducibus Romanis utebatur, fluxisse appareat, et illa Ampelii capita et auctoris de vir. ill. vitae dimisso Nepote ad Julium Hyginum referenda sunt. Non debuit hoc uno argumento fretus Woelfflinius auctoris de vir. ill. librum Nepoti abrogare, cum facillime cogitari possit, sicut multa alia capita auctoris nostri, ita Hannibalis vitam aliunde ac ex primario illo fonte, quem Ampelius quoque adiit, depromptam esse. Deinde vir ille doctissimus plane oblitus esse videtur de ipsa illa Hannibalis vita a Nepote scripta litem sub indice ad tempus esse, cum ea, quae Plutarchus Nepotem de Hannibale tradidisse rettulit, illi vitae, quam nos sub nomine Nepotis habemus, valde repugnent, quamobrem

Rinckius (proleg. ad Aemil. Prob. edt. Roth. p. 54) hunc Hannibalem posteriore tempore compositum esse iudicavit, quo Nepotis istud scriptum de Hannibale seu Marcello non amplius existisset. Jam dimisso igitur Hygino in ipsis cap. XVIII et XIX Ampelii et in aucteris nostri libro Nepotis vestigia colligamus! Haec igitur leguntur:

*apud Ampelium XIX. 8.*

Cato Censorius, qui totiens accusatus est et quo advixit, innocentis accusare non destitit. Hic est omnium rerum peritissimus et, ut Sallustio Crispo videtur, Romani generis disertissimus.

*apud Nepotem (Cat. II. 4).*

circiter LXXX annos usque ad extremum ab adolescentia rei publicae causa suscipere inimicitias *non destitit*; a multis temptatus non modo nullum detrimentum existimationis fecit, sed *quoad vixit*, virtutum laude crevit. III *In omnibus rebus* singulari fuit industria; nam et agricola sollers et rei publicae *peritus* iurisconsultus et magnus imperator et probabilis orator et cupidissimus literarum fuit. Quarum studium etsi senior arripuerat, tamen etc.

Non plura, quam haec ipsa verba Ampelii: »Romani generis disertissimus« ex Sallustio fluxerunt; nam in fragmentis Sallustii historiarum (apud Dietschium Sall. hist. fragm. I. 2) eadem inveniuntur eoque loco, quo non de moribus doctrinaque Catonis, sed de genere sermonis, quo usus ille sit, agi appareat. Cetera igitur ad Nepotem referenda sunt. — Noster autem auctor aperte ea Catonis vita, quam Nepos ipse composuit cuiusque epitomen Ampelius excerpsit, usus est; Plinii enim haec verba (hist. nat. VII. 28) »Cato primus Porciae gentis tres summas in homine res praestitisse existimatus, ut esset *optimus orator, optimus imperator, optimus senator* — itaque sit proprium Catonis, quater et quadragies caussam dixisse nec quemquam saepius postulatum et semper absolutum« cum illo Nepotis loco, quem supra attulimus, tam plane concinunt, ut ex Nepote illa fluxisse manifestum sit; insuper in catalogo auctorum, quibus in libro VII pro fontibus Plinius usus est, Nepos commemoratur. Praeter Plinium autem solus auctor de vir. ill. *quadragies quater* Catonem caussam dixisse rettulit, qua re eum ipsum ex Nepote sua hausisse patet (cfr. Plut. Cat. 15

λέγεται γὰρ ὀλίγον ἀπολιπούσας τῶν πενήκοντα φυγεῖν δίκας).

Denique Plutarchus Nepotis Catonem usurpasse videtur. *Nissenius* enim acutissime de fontibus vitae Catonis a Plutarcho scriptae disputans (Quaest. critic. de font. dekad. IV et V, Liv. annal. p. 292) iuxta Polybium aliosque scriptores a Plutarcho eiusmodi librum excerptum esse iudicavit, qui de ipsius Catonis vita compositus esset. Cum autem omnia, quae *Nissenius* inde manasse coniecit, prorsus cum Nepotis Catone epitomato congruant et ipsa singula verba Plutarchi Nepoti respondeant, et illa et plura alia ex Nepotis Catone Plutarchum mutuatum esse arbitror.

Rettulerunt autem haec :

*Nepos Cato I. 1.*

M. Cato ortus municipio Tusculo adulescentulus, priusquam honoribus operam daret, versatus est in Sabinis, quod ibi heredium a patre relictum habebat. Inde hortatu L. Valeri Flacci, quem in consulatu censuraque habuit collegam, ut M. Perpenna Censorinus narrare solitus est, Romam demigravit in foroque esse coepit.

*Plutarch Cato I.*

Μάρκῳ δὲ Κάτωνι φασὶν ἀπὸ τοῦσκλον τὸ γένος εἶναι, διαίται δὲ καὶ βίον ἔχειν πρὸ τῶν στρατιῶν καὶ τῆς πολιτείας ἐν χωρίοις πατρῶις περὶ Σαβίνους — III (Ὀυαλλέριος Φλάκκος αὐτὸν) προσετρεψατο καὶ συνέπεισε ἀψασθαι τῆς ἐν Ῥώμῃ πολιτείας — ἐκ τούτου δὲ λαμπρὸς ὢν ἤδη καὶ περιφανῆς αὐτῷ τῷ Ουαλλερίῳ περὶ τὰς μεγίστας συνεξέδραμεν ἀρχὰς ὑπατός τε μετ' ἐκείνου καὶ πάλιν τιμητῆς γενόμενος.

cfr. *Nep. Cat. II. 1*; *Plut. Cat. X ὑπατος δὲ sqq.* — *Nep. Cat. II. 2*; *Plut. Cat. XI ἔτι δὲ αὐτοῦ sqq.* — *Nep. II. 3*; *Plut. Cat. XVII ἐξέβαλε δὲ sqq.* XVIII τοὺς δὲ πλείστους sqq. Atque *Nissenius* loco citato (p. 293) haec dicit: »Die Erzählung von Curius Dentatus ähnlich bei Cic. de sen. 16; ihre Verbindung ist bei Plutarch eine andere, und der Zusatz, dass Curius Rueben gekocht, kann doch unmöglich erfunden sein.« Rectissime! Ex Nepote enim narratiuncula illa fluxit, ex quo eandem auctor de vir. ill. (c. 33) et *Ampelius* (XVIII. 8) petierunt.

Postremum *Valerius Maximus* haec ex Nepotis Catone excerpit (VIII. 7, 1): Idem Graecis litteris erudiri concupivit, quam sero inde aestimemus, quod etiam Latinas paene iam senex di-

*dicat*. Cumque *eloquentia* magnam gloriam partam haberet, id egit, ut *iuris civilis* quoque esset *peritissimus* — quae cum iis Plinii et Nepotis locis, quos supra attulimus, valde consonant. Cum autem alia quoque Valerii exempla, quibus Catonis mores describuntur (IV. 3, 11; III. 4, 6) insignem Plinii (h. n. XIV. 13, 14; VII. 27, 28) similitudinem prae se ferant, ex Nepote pleraque eorum, quae Valerius de Catone rettulit, esse hausta etiam magis ad veritatem accedit (cfr. Kempfius praefat. ad Valer. Max. p. 18). Ex Nepote igitur et illud fluxit, quod praeter Valerium (VIII. 15, 2) solus auctor de vir. ill. memoriae prodidit, Catonis imaginem ex curia funeris caussa produci solere, et illud, quod Valerius nostro auctori assensus de crimine narravit, quo L. Flamininus a Catone motus *senatu* esset (cfr. Koehlerius, qua ratione Livii annal. usi s. hist. gr. et lat. p. 13, qui errasse in ea re videtur).

Sed relicto Catone ceterorum Nepotis librorum fragmenta perscrutemur per alios scriptores servata, quae, quamvis pauca exstent, tamen aliquantum momenti ad diiudicandam quaestionem nostram allatura sint. Primum igitur apud Gellium (XVII. 21, 24) haec leguntur: Manlius damnatus capitis saxo Tarpeio, ut M. Varro ait, praiceps datus, ut Cornelius autem Nepos scriptum reliquit, verberando necatus est; quibuscum, conferendus auctor de vir. ill. c. 24, 1 — de saxo Tarpeio praecipitatus est. Minime haec dissensio, quae ibi est inter Nepotem et auctorem nostrum, nos perturbare debet, sed hinc proficisci videtur, quod Nepotem haud verisimile est a ceteris scriptoribus de Manlii supplicio discrepantem ne mentionem quidem vulgaris illius narrationis fecisse; itaque ex duabus narrationibus a Nepote propositis auctor noster eam ipsam eligere potuit, quam Gellius non Nepotis, sed Varronis propriam esse iudicavit (veluti simile quid Koehlerius l. c. p. 13 de Valerio Maximo statuit). Deinde facillime cogitari potest Nepotem haec scripsisse: Manlius de saxo Tarpeio praecipitatus verberando necatus est, ut Niebuhrius coniecit (hist. Rom. 1830, II. p. 687). In eodem autem capite Nepotis manifesta vestigia deprehunduntur, cum illa, quae auct. de vir. ill. de insigni Manlii virtute narravit, cum uno Plinio (VII. 29) ad verbum

concinant, cuius proximum caput ex Nepote fluxisse supra ostendimus.

Alterum Nepotis fragmentum Plutarchus servavit (comparat. Pelopid. cum Marcello c. I), apud quem haec legimus: Ἀντίβαν δὲ Μάρκελλος ὡς μὲν οἱ περὶ Πολύβιον λέγουσιν, οὐδὲ ἀπαξ ἐνίκησεν, ἀλλ' ἀήττητος ὁ ἀνὴρ δοκεῖ διαγενέσθαι μέχρι Σκηπίωνος· ἡμεῖς δὲ Διβίῳ Καίσαρι καὶ Νέπωτι καὶ τῶν Ἑλληνικῶν τῷ βασιλεῖ Ἰόβᾳ πιστεύομεν ἤττας τινὰς καὶ τροπὰς ἐπὶ Μαρκελλοῦ τῶν σὺν Ἀντίβᾳ γενέσθαι. Item auctor de vir. ill. (c. 42 et c. 45) Hannibalem a Marcello fugatum esse diserte scripsit.

Tum Plutarchus (vit. Marcelli c. 30) Marcelli ossa Livio et Augusto testibus Romam relata ibique in sepulcro condita esse rettulit, Nepotem autem tradidisse a Numidis quibusdam illa in itinere dispersa periisse; quae narratio apud unum auctorem nostrum invenitur, qui haec scripsit (c. 45): ossa Romam remissa a praedonibus intercepta perierunt.

Denique plane cum auctore nostro haec congruunt, quae Plutarchus in vita Luculli ex Nepote se excerpssisse memoravit:

Plut. Lucull. c. 43.

Καὶ πρό γε τῆς τελευτῆς λέγεται νοσήσαι τὴν διάνοιαν αὐτῷ κατάμικρὸν ἀπομαραιομένην. Νέπως δὲ Κορνήλιος οὐχ ἐπὶ γήρωσ οὐδὲ νόσον παραλλάξαι τὸν Λούκουλλον ἀλλὰ φαρμάκοις ἐπὶ τινος τῶν ἀπελευθέρων Καλλισθέου διαφθάρντα· τὰ δὲ φάρμακα δοθῆναι μὲν ὡς ἀγαπῶτο μᾶλλον ὁ Κ. ἐπ' αὐτοῦ τοιαύτην ἔχειν δοκοῦντα τὴν δύναμιν, ἐκστῆσαι δὲ καὶ καταλύσαι τὸν λοσγμὸν, ὥστ' ἔτι ζῶντος αὐτοῦ τὴν οὐσίαν διοικεῖν τὸν ἀδελφόν.

auct. de vir. ill. 74.

post cum alienata mente desipere coepit, tutela eius M. Lucullo fratri eius permissa est.

Confer, quae de hoc loco parum acute Andreas Schottius disputavit (dissertatio de auct. de vir. ill. in eius editione Aurelii Victoris 1579 p. 177). — Superest igitur, ut ea, quae de die P. Cornelio Scipione Africano eiusque fratri dicta ab auctore nostro (c. 49) relata legimus, ex Nepote manasse demonstramus. Qua de re haec pauca praemittere mihi liceat:

*Nissenius* (quaest. crit. de font. dekad. IV. et V. Liv. annal. p. 215) in eo errasse videtur, quod illa, quae apud Valerium Maximum (IV. 1, 8) de intercessione Tib. Sempronii Gracchi pro L. Cornelio Scipione Asiatico facta leguntur, ad Livium rettulit. Valerii enim verba plane cum Gellio (n. A. VII. 19) consonant, quem Mercklinius<sup>1)</sup> ex Nepote sua excerpisse docuit. Legimus autem haec:

apud Val. Max. IV. 1. 8.

At is primum iuravit, se cum Scipionibus in *gratiam non rediisse*. Deinde tale decretum recitavit: Cum *L. Cornelius Scipio die triumphi* sui ante curram actos *hostium duces in carcerem coniecerit, indignum et alienum* maiestatis populi Romani *videri* eodem ipsum duci; itaque id non passurum fieri.

apud Gellium VII. 19.

iuravit palam se cum P. Africano in amicitiam inque gratiam non rediisse atque ita decretum ex tabula recitavit; cuius decreti verba haec sunt: Cum L. Cornelius Scipio Asiaticus triumphans hostium duces in carcerem coniecerit, alienum videtur esse dignitate reipublicae, in eum locum imperatorem populi Romani duci, in quem locum ab eo coniecti sunt duces hostium. Itaque L. Cornelium Scipionem Asiaticum a collegae vi prohibeo.

Cfr. Ampel. XIX. 3 non est passus a tribunis in carcerem duci, quod diceret nefas ibi esse Scipionem, ubi *captivi illius* adhuc illigati tenerentur. Quibuscum Livius XXXVIII. 57 prorsus discrepat, quo auctore Tib. Sempronius Gracchus negavit, in quem carcerem reges et imperatores hostium ducentem vidisset *P. Africanum*, in eum se *fratrem eius* duci passurum. — Facilius igitur et alterum Valerii locum, quo de die P. Scipioni Africano agit, eidem Nepoti deberi comprobabimus, quamquam hunc ipsum ex Livio translatum Nissenius censet. Apud Valerium (III. 7, 1) enim legimus a Naevio vel, ut quidam memorent, a duobus Petilliis Africano diem dictam esse; neque tamen insequentibus verbis Petilliorum ulla mentio fit, sed de uno tribuno plebis vel accusatore Scipionis agitur. Quare Valerius iterum cum Gellio (IV. 18) congruit, qui ipse a Naevio Africanum reum factum esse tradidit et cuius verba, ut

<sup>1)</sup> Die Citirmethode und Quellenbenutzung des A. Gellius in den noct. Attic. Jahn's Jahrb. 1860. III. Supplem.-Bd. p. 668.



Nissenius recte iudicavit, ex Nepote fluxerunt. Cum autem insuper et Valerius et Gellius ex illo facto fiduciae exemplum esse sumendum doceant, (cfr. *Gell.* haec duo exempla eius *fiduciae*; *Valerius III. 7 praefat.* illis autem, quae deinceps subnectam, quantam *sui fiduciam* (virtus) habere soleat, cognoscitur), utrumque scriptorem ex *exemplis fiduciae* a Nepote propositis excerptis sua manifestum est. Huc igitur referimus, quae apud unum Valerium Maximum leguntur, Scipionem corona triumphali ornatum caussam dixisse et Naevium cum Scipione in Capitolium supplicatum processisse — quae ex ingenio Valerium finxisse Nissenius immerito opinatur. — Praeter Valerium et Gellium auctor de vir. ill. ex Nepote sua hausit, cum uno Gellio consentiente Scipionem *Petilliis* rationem pecuniae Antiochensis requirentibus scidisse librum rationum memoriae prodatur.<sup>1)</sup> Valerium Antiatem enim illius fabulae auctorem fuisse iam supra negavimus; ne Livius XXXVIII. 55 quidem (neque Polybius XXIV. 9, 6) nomen tribuni pl. protulit, qui pecuniae Antiochensis rationem ab ipso Africano reposceret. Deinde Valerius Maximus, quem ex Nepote sua desumpsisse vidimus, cum his auctoris nostri verbis valde concinit:

*auct. de vir. ill. 49.*

hac die, inquit, Carthaginem vici; quasi bonum factum in Capitolium eamus et diis supplicemus.

*Valer. Max. III. 7. 1.*

hoc ego die, inquit, Quirites, Carthaginem magna spirantem leges nostras accipere iussi. Proinde aequum est vos mecum ire in Capitolium supplicatum.

Apud Gellium autem illa verba propterea non exstant, quod hic praeter Nepotem, ut ipse fatetur, oratione Scipioni addicta usus est, cuius extrema verba a Nepote discedens descripsit, cum Valerius et auctor de vir. ill. presso pede Nepotem sequerentur. Neque vero nostrae sententiae officit, quod auctor

---

<sup>1)</sup> Schroeterius et Keilius in cap. 49 violenter codicum lectione correctam pro »a Petillio Alteio tribuno plebis« in textum receperunt »a Petillio ac Naevio tribunis plebis«; sed rectam lectionem *Martinus Hertzius* restituisse videtur (*Fleckeisenii annal.* 1865 *Miscell.*), qui vocem »Alteio« removendam esse censet et auctorem de vir. ill. per errorem »a Petillio« pro »a Petilliis« scripsisse conicit.

de vir. ill. per alterum errorem duas illas accusationes confudit et ita Naevii tribuni pl. nomen suppressit; qua re et Mommsenius et Nissenius decepti esse videntur.

Si igitur ea, quae auctor de vir. ill. de die Scipionibus dicta tradidit, ad Nepotem referri debent, Nissenii sententia de fontibus, quibus Livius in eadem re narranda usus sit, redargui videtur. Ex duorum enim scriptorum, Antiatii et Claudii libris Livium hausisse sua iudicavit, quorum alter semel Africano diem dictam esse, Literni eum mortuum, post eius mortem Asiaticum esse accusatum narrasset, alter et Africanum et vivo eo Asiaticum reum factum Romaeque Africanum mortem obiisse scripsisset. Jam Mommsenius merito illam sententiam impugnavit et capituli LV libri XXXVIII finem non ex Claudio, sed ex Polybio translatum esse coniecit (Herm. I. p. 161); eadem illa potissimum ad Rutilium referam, quem in morte Scipionis Africani commemoranda Livius XXXIX. 52 citavit. Cum autem duae illae narrationes, quas Nissenius distinxit, apud auctorem nostrum, id est Nepotem, permixtae inveniantur et Nepotem verisimile sit Claudii annales adhibuisse (cfr. Nissen. l. l. p. 215), equidem non dubito, quin, Literni Scipionem mortuum esse et Valerius Antias et Claudius tradiderit, Romae autem supremum diem obiisse illum aliunde Livius petierit. — Ceterum memoratu dignum est, auctorem nostrum, qui Nissenio Livium excerptisse videtur, illas res eodem fere temporum ordine persecutum esse, quem Nissenius reiecta Livii narratione magis cum historia convenire coniecit.

Nunc vero de Julio Hygino sententiam feramus, cui Woelfflinius auctoris nostri librum vindicavit. Revera quidem Hyginus, ut Woelfflinius docuit, Fabricii vitam composuit (cfr. Gell. l. 14), cuius severitas ab Ampelio cap. XVIII laudibus effertur; atque ex eodem (nisi ex Oppio aliisque, quos Gellius VII. 1 praeter Hyginum testes citavit) aliquot narratiunculas de Scipione Africano Gellius excerptit, quae iisdem fere verbis relatae apud auctorem de vir. ill. c. 58 leguntur. Neque tamen ea re Woelfflinius aliud assecutus esse videtur, nisi ut argumentis firmaret, id quod a priori verisimile erat, Julium Hyginum in libros suos *de exemplis et de viris illustribus* com-

positos ex Nepotis operibus, quae tam facilem ei excerpenti occasionem praeberent, nonnulla retentis etiam verbis transulisse. — Cum autem, ut nostra argumenta breviter perstringamus, Ampelii vitae imperatorum Romanorum eandem originem prodant, quam exterarum gentium ducum vitae, cum deinde unum illud argumentum, quo nixus Woelfflinius Nepotem repugnare auctori nostro comprobare studuit, vanum esse appareat, denique in auctoris de vir. ill. libro multa Nepotis certa vestigia deprehendantur, cum postremum in compluribus codicibus manuscriptis Cornelius Nepos ipse auctor eius libri appelletur, profecto mihi quaestio de primario fonte, ex quo auctor de vir. ill. sua hauserit, plane soluta esse videtur neque in dubio relinqui, quin Nepotem praecipuum ducem habuerit. Itaque hoc unum superest, ut quae alii scriptores cum auctore nostro ex Nepotis libris desumpserint, colligamus, quam rem paucis absolvere mihi liceat.

## CAPUT VII.

Primum *Florus* per totum suum librum Nepote passim usus est, cum plurimos locos eius ad verbum cum auctore de vir. ill. consonare cognoverimus; quapropter illos, qui de fontibus Flori quaestiones instituere in animum induxerint, imprimis auctoris de vir. ill. et Ampelii libros diligentissime adhibere oportet.

Deinde *Valerius Maximus*, ut Kempfius (praefat. ad Val. Max. p. 18) merito coniecit, ex Nepotis libris multa excerpit. Ac quidem aperte haec exempla ex eo fluxerunt: III. 2, 1 (hostium agmen, donec post tergum suum pons abrumperetur, infatigabili pugna sustinuit; *cfr. auct. d. v. i. 11*, aciem hostium solus sustinuit, donec pons a tergo interrumperetur); III. 2, 2 (*cfr. c. V huius libelli*); III. 2, 3 — III. 2, 7 (*auct. d. v. i. 25 et Val. III. 2, 4* Cossum Cornelium *magistrum equitum* spo-

lia opima de Tolumnio *Fidenatium duce* rettulisse commemorant); III. 3, 1; V. 1, 10; IX. 5, 2 (cfr. c. V huius libelli); II. 9, 3; III. 7, 1; IV. 1, 8; VIII. 7, 1; VIII. 15, 2 (cfr. c. VI h. l.); quibus haec addiderim: I. 2, 2 (quam in cella Jovis Capitolini diutissime moraretur; *cfr. auct. d. v. i. 49*, quam in cella Jovis diutissime sedisset; *cfr. Gell. VII. 1*); I. 4, 5 (non multorum corvorum, sed unius corvi auspicio Ciceroni imminentem mortem praedictam praeter Valerium solus *auct. d. v. i. 81* refert); III. 2, 18 (*cfr. auct. d. v. i. 72*); III. 8, 2 (frustrari et eludere Poenorum impetus; *cfr. auct. d. v. i. 42*, a Fabio Maximo frustratus et *cfr. c. 43*); III. 8, 4 (in exilium quam in legem eius ire maluit; *cfr. auct. d. v. i. 73* exulare, quam iurare maluit; *Ampel. XVIII. 14*); III. 8, 6 (*cfr. auct. d. v. i. 73*); IV. 1, 13 (*cfr. auct. d. v. i. 62*); IV. 3, 4; V. 2, 1 (*cfr. auct. d. v. i. 19*); V. 4, 3 (gladium — destrinxit tribunumque minis ac terrore compulsum iurare coegit a patris eius accusatione recessurum; *cfr. auct. d. v. i. 28*, gladio stricto dimittere eum accusationem terrore multo compulit); haud scio an V. 4, 1 — V. 4, 3 et V. 4, 4 — V. 4, 7 (quae ex *exemplis* pietatis a Nepote propositis esse ducta videntur; ultimum illorum eximiae pietatis speciminum inter alia exempla pietatis apud Plinium Secundum VII. 36 occurrit); V. 8, 4 (*cfr. auct. d. v. i. 72*); V. 10, 2 (clarum *exemplum* — si quid adversi populo Romano immineret; *cfr. auct. d. v. i. 56*, si quid adversi reipublicae imminabat); VI. 2, 3 (At is iure eum caesum videri respondit — taceant, inquit, quibus Italia noverca est. Orto deinde murmure: Non efficietis, ait, ut solutos verear, quos alligatos adduxi. *cfr. auct. d. v. i. 58*, — Gracchum iure caesum videri respondit. — taceant, inquit, quibus Italia noverca, non mater est; et addidit, quos ego sub corona vendidi); VI. 4, 2 (*cfr. auct. d. v. i. 58, 9*); VI. 5, 3 (praeter Valerium solus *auct. d. v. i. 57* a Popillio, non a Rutilio diem Tib. Sempronio Graccho dictam esse refert); VII. 3, 7 (*cfr. auct. d. v. i. 43*; Florus I. 22, 27 novam de Hannibale victoriam commentus est, non pugnare; *Val. cuius non dimicare vincere fuit*).

Denique *Frontinum* (*cfr. Woelfflinius, de Ampel. libr. mem. p. 39*) in libris strategematicon componendis a Nepote multa

---

mutuatum esse, comparatis his locis eius cum auctore de vir. ill. et cum Ampelio apparebit.

*Frontin. I. 1. 1.*

Cato devictas ab se Hispaniae civitates existimabat in tempore rebellaturas fiducia murorum. Scripsit itaque singulis, ut diruerent munita minatus bellum, nisi confestim obtemperassent — unaquaeque urbium sibi soli credidit imperatum.

*Frontin. IV. 1. 13.*

M. Scaurus filium, quod in saltu Tridentino loco hostibus cesserat, in conspectum suum venire vetuit. Adolescens verecundia ignominiae pressus mortem sibi conscivit.

*Frontin. IV. 1. 23.*

A. Metellus Macedonicus in Hispania V cohortes, quae hostibus cesserant, testamentum facere iussas ad locum recuperandum remisit, minatus non nisi post victoriam receptum iri.

*Frontin. IV. 3. 15.*

L. Mummius, qui Corintho capta non Italiam solum, sed etiam provincias tabulis staturisque exornavit, adeo nihil ex tantis manubiis in suum convertit, ut —

*Frontin. IV. 7. 30.*

*Frontin. IV. 7. 36.*

Cum postremum *Lucanum* ex auctoris de vir. ill. fonte multa hausisse pateat (cfr. VIII. 597 sqq.; auct. d. v. i. 77 — X. 524 sqq.; auct. d. v. i. 78, 6; Flor. II. 13, 60 — II. 580 sqq.; auct. d. v. i. 77, 6), Nepotem illi praeter Velleium Paterculum pro primario fonte fuisse verisimile est.

De Plinii autem capitibus ex Nepotis libris excerptis hoc loco disputare longum est, quamobrem eam quaestionem in aliud tempus reicimus.

*auct. de vir. ill. 47.*

Consul Celtiberos domuit et ne rebellare possent, litteras ad civitates singulas misit, ut muros diruerent. Cum unaquaeque sibi soli imperari putaret, fecerunt.

*auct. de vir. ill. 72.*

idem filium suum, quia praesidium deseruerat, in conspectum suum vetavit accedere; ille ob hoc dedecus mortem sibi conscivit.

*Ampel. XVIII. 14.*

Macedonicus, qui Contrebiam — iussis testamenta scribere et vetitis redire nisi vicissent militibus occupavit; *auct. de vir. ill. 61* apud Contrebiam oppidum cohortes loco pulsas redire et locum recipere iussit.

*auct. de vir. ill. 60.*

Mummius Corinthum signis tabulisque spoliavit; quibus cum totam Italiam repleisset, in domum suam nihil contulit.

*auct. de vir. ill. 53.*

*auct. de vir. ill. 43.*

## PARS II.

### De auctoritate et fide historica libri de vir. ill.

#### CAPUT I.

Cum igitur praecedentibus capitibus fontes auctoris de vir. ill. aperti esse videantur, facilius, quid de eius auctoritate et fide historica iudicandum sit, statuere poterimus. Atque primum Aurelium Victorem nostri libri de vir. ill. auctorem esse negamus, a cuius libris iamdudum illum multi viri docti segregaverunt. Quam immerito enim Victori tributus ille liber sit, hoc uno argumento declaratur, quod auctor noster in vita Augusti describenda Victori prorsus repugnat. Scripserunt enim haec:

<i>Aurel. Vict. de Caes. I. 7.</i>	<i>auct. de vir. ill. 79.</i>
felix adeo — ut Indi, Scythae,	Indi, Scythae, Sarmatae, Daci, quos
Garamantes ac Bactri legatos mit-	non domuerat, dona miserunt; <i>cfr.</i>
terent —	<i>Amp. 47, 7; Flor. II. 33.</i>

Quis tamen auctor libri de vir. ill. urbis Romae habendus sit, coniectura augurari nolumus et satis habemus de ratione, qua Nepotis libris incertus ille auctor et Ampelius usi sint, sententiam ferre: Unius igitur Attici vitam ex omnibus Cornelii Nepotis operibus integra servata ad nostram aetatem evasisse videtur, cum ceterae vitae aut nobis perierint aut ab epitomatoribus in angustum coactae sint. Nec noster quidem auctor ipsius Nepotis libris usus est, sed epitome Corneliiana, quam postea aliquanto et illum excerpisse arbitror, cui et Catonis et excellentium ducum exterarum gentium vitae debentur. Hannibalis autem vitam illius epitomatoris temporibus non iam exstitisse et ita alienam suppositam esse supra ostendimus, neque minus verisimile est praeter Hannibalis vitam alias

quoque vitas totas aliunde petitas et plurima menda in illum librum irrepsisse. Ex hoc igitur opere, cuius perexiguam partem nos reliquam habemus, Ampelius illa deprompsit, quae de ducibus Atheniensium, Lacedaemoniorum, Carthaginensium, de ducibus, viris fortibus, hostibus Romanorum, de regibus Romanorum et exterarum gentium relata apud eum leguntur. Itaque fit, ut Ampelium et auctorem de vir. ill. de rebus ab Hannibale gestis plane dissentire et apud utrumque scriptorem eosdem errores exstare videamus minime Nepoti imputandos.

Neque tamen ipsam illam epitomen Cornelianam auctor noster fide ac diligenter excerpsit, sed fontis sui errores aliis erroribus cumulavit; (velut in capite XXXII perverse Fabium Rullianum *ob virtutem* Maximum dictum esse contendit, cum Ampelius multo rectius ideo Fabio illud cognomen inditum esse referat, quod libertinos in IV urbanas tribunos coniecerit (cfr. Liv. IX. 46); in qua tamen re exponenda ipse Ampelius cum auctore de vir. ill. peccavit).

Unde evenit, ut Cornelius Nepos, cuius magnam in rebus narrandis diligentiam atque sinceram fidem viri docti summis laudibus extulerunt (cfr. Rinckius proleg. ad Aemil. Prob. p. 48), nostri auctoris libello vix agnoscat. Neque tamen ea re cum falsis et peccatis et illa, quae sunt vera in auctoris de vir. ill. libro prorsus contemnemus et abiciemus, cum praesertim ubique fere facile et errores detegantur et errorum caussae intellegantur. Sed de fide historica auctoris nostri infra copiosius agemus. Nunciam quibus ex fontibus Nepotis vitae ducum Romanorum illustrium fluxerint, quaerere libet, cum de ceterorum Nepotis librorum fontibus et auctoritate viri docti satis luculenter disseruerint (cfr. Rinckius l. l. p. 48 sqq.).

---

## CAPUT II.

### DE CORNELII NEPOTIS FONTIBUS.

Ad *Valerium Antiatem* Mommsenius (Herm. IV. 7) illa rettulit, quae auct. de vir. ill. c. 19 de Marcio Coriolano commemoravit; quam ad sententiam nos libenter accessimus.

Ex eodem enim Valerio primum caput auctoris de vir. ill. esse desumptum videtur. Nam, ut Liebalddius (de Valerio Antiatae *annal. script. progr. Numburg. 1840 p. 20*) recte statuit, ex vetustioribus scriptoribus solus Valerius a Celere Remum interfectum esse memoriae prodidit, id quod apud nostrum auctorem legimus. Deinde et a Valerio (cfr. Dionys. II. 13 ἡγεμῶν τῶν Κελερίων) et ab auctore de vir. ill. *centurio* Celer appellatur, cum ceteri scriptores munitorem vel praefectum munitorum fuisse Celerem contendant. Denique Faustuli uxorem Dionysius, Livius aliique Larentiam vel Laurentiam vocant, Valerius Antiatas autem (apud Gell. VI. 7) Accam Larentiam, quem haud dubie Plutarchus (Rom. IV) et Licinius Macer (apud Macrob. satur. I. 10, 17) et auctor de vir. ill. secuti sunt. Quare et illud, quod auctor noster discrepans cum pervulgata narratione tradidit, Amulium et Numitorem alternis vicibus regnasse, ad Valerium Antiataem referimus (cfr. Dionys. V. 74, qui Licinium Macrum secutus post Numitorem mortuum dictatores regia potestate alternis vicibus Albanorum civitati praefuisse memoriae prodidit, et cfr. Plut. Rom. XXVII).

An et illa, quae de Cloelia auctor de vir. ill. commemoravit, ex Antiatae manaverint, parum liquet. Apud Plutarchum enim (Public. XIX), qui totam fere Valerii Publicolae vitam ex Antiatis annalibus desumpsit (cfr. Peterius de fontib. Plutarchi pg. 45 sqq.), inter varias de Cloeliae fuga fabulas haec ipsa occurrit, quam apud auctorem nostrum relatam legimus. Cum autem Plutarchus verbis „ἐνιοὶ δὲ φασιν“ eam inducat, in dubio relinquitur, utrum apud Antiataem utramque fabulam Plutarchus invenerit, an ex hoc priorem, alteram aliunde excerpserit (cfr. Peter. l. l.).

Tum ipsius Antiatis verba in cap. XVIII auctoris de vir. ill. exstare videntur, ubi haec legimus:

*auct. de vir. ill. 18.*

cum populus a patribus secessisset, quod tributum et militiam toleraret nec revocari posset, Agrippa apud eum —

*conf. Sallust. hist. fr. I. 9. (apud Dietsch.)*

quibus agitata saevitiis et maxime fenoris onere oppressa plebes cum assiduis bellis tributum simul et militiam toleraret, armata montem sacrum atque Aventinum insedit.



Cum aeris alieni magnitudine oppressam plebem fecisse secessionem Antias ceteris scriptoribus adversatus memoriae prodiderit (cfr. Nitschius, de annal. scriptor. Roman. p. 74, sqq.), ex huius annalibus fluxisse illa verba proximum vero est.

Eodem autem capite solus auctor de vir. ill. Menenio Agrippae cognomen Lanatum indidit et cap. XII Mucio Scaevolae cognomen Cordum, quod nemo praeter Ampelium (XX. 3) et Dionysium (V. 25) ei imposuit. Atque omnino summa diligentia nominibus cognomina et agnomina ab auctore de vir. ill. adduntur, et unde originem singula habeant, studiosissime ab eo exponi solet (cfr. c. 8, 10, 11, 15, 19, 24, 28, 29, 31, 32, 34, 37 etc.). De cognominibus igitur Romanis haec Mommsenius iudicavit (Quaest. Roman. p. 48): »Sehr wahrscheinlich sind alle genealogischen Notizen, sowie saemmtliche cognomina erst in der späteren republikanischen Zeit aus den Stammbaeumen der einzelnen Geschlechter in die uralte Liste eingetragen worden.« Itaque omnia illa auctoris nostri capita ad Antiatem referenda esse videntur.

Eundem scriptorem Cornelius Nepos in vita Catonis componenda secutus est, cum apud auctorem de vir. ill. c. XLVII sceleris a L. Flaminio admissi eam narrationem relatam legamus, quam Valerii Antiatis propriam esse Livius XXXIX. 43 testatur. Postremum Hannibalis vitam ex Antiate fluxisse suspicor, quod et hic (cfr. Liv. XXXIX. 56) et auctor de vir. ill. c. XLII T. Flaminium ad repetendum Hannibalem ad Prusiam missum esse rettulit, alii autem scriptores (Plut. Flamin. XX, App. Syr. XI, Liv. XXXIX. 51) iniussum eum in Bithynia Hannibalem interficiendum curasse memoriae prodiderunt.

Haec fere igitur ex Antiatis annalibus manasse possunt argui. Quibus tamen caute atque circumspecte Cornelium Nepotem usum esse inde apparet, quod ex eius fragmentis a Peterio collectis septem (numeris 3, 7, 12, 25, 40, 45, 56 signata) auctori nostro adversantur.

Ex Claudii Quadrigarii libris haec petita esse arbitror, quae ab auctore de vir. ill. c. XLIX de die Scipionibus dicta commemorantur, deinde caput LXI, quo Aethiopes bis a Metello proelio fusi esse traduntur (cfr. Oros. V. 3 et Peter. rel. hist. Rom.

p. 229); denique eundem Claudium auctorem secutus *ex foedere* Postumii exercitum sub iugum missum esse auctor de vir. ill. c. XXX narravit (cfr. Liv. IX. 5).

Sed praeter rerum scriptores Cornelius Nepos acta publica et omnis generis inscriptiones ipse adiit atque inspexit, ut Tib. Gracchi pro Africano intercedentis et collegarum eius decreta retentis etiam verbis Nepotem in libros suos transtulisse vidimus (cfr. Gell. VI. 19). Atque etiam capituli XXVII auctoris nostri aliquot verba cum antiqua inscriptione a Grutero edita plane consonant (*Gruter. inscript. tom. I. p. 26 n. 11*, P. Decius Deci filius primum cos. de Samnitibus triumphans spolia ex eis Cereri consecravit. Iterum et tertium consul — *auct. de vir. ill.*, P. Decius, Decii filius, primo consul de Samnitibus triumphavit. Spolia de his Cereri consecravit. Iterum et tertio consul multa domi militiaeque gessit). Quae inscriptio cum fragmentum elogii statuae Decii olim subscripti esse videatur, Borghesii illi sententiae de fontibus auctoris de vir. ill., quam supra rettulimus, aliquid veri inesse comprobatur.

---

### CAPUT III.

Quantum autem momenti ad res Romanas accurate recognoscendas atque inquirendas auctoris nostri liber habeat, satis evidenter apparebit, si e maximo earum rerum numero, quae ab uno auctore de vir. ill. referuntur, paucas notabiliores lectoribus subiciemus. Apud hunc igitur solum legimus:

Amulium et Numitorem alternis vicibus regnasse (c. I), Ancum Marcium vectigal salinarum instituisse et paucos dies regnasse (c. V), a Servio Tullio mensuras atque pondera instituta esse (c. VII), Quinctium Cincinnatum Caesonem a patre abdicatum et a censoribus notatum ad Volscos et Sabinos fugisse (c. XVII), Curii Dentati opera legem Maeniam latam esse (c. XXXIII, cfr. Niebuhr. hist. Rom. 1832 III. p. 493), a Decio Mure

libertinos Volsinienses oppressos esse (c. XXXVI), Hieronem tyrannum ab Appio Claudio captum esse (c. XXXVII), C. Nigidium a Viriato in Hispania victum esse (c. LXXI), Livium Drusum quaestorem in Asia fuisse et Boccho Magulsam prodidisse et Adherbalem hospitio recepisse et morbum comitiale simulasse et eundem de Latinorum insidiis cavendis Philippum consulem admonuisse (c. LXVI), Apuleium Saturninum legem de agris in Africa dividendis tulisse et Glauciae sellam concidisse et Siciliam, Achaïam, Macedoniam novis coloniis destinasse et aurum Tolosanum ad agrorum emtionem convertisse (c. LXXIII), C. Marium voluntaria morte decessisse (c. LXVII), Lentulum C. Julii Caesaris iussu occisum esse (c. LXXVIII).

---

## CAPUT IV.

### DE AUCTORIS DE VIR. ILL. FIDE HISTORICA.

Jam dudum viri docti multos errores in auctoris de vir. ill. libro exstare intellexerunt (cfr. Beckerius antiquit. Rom. I. 56; Mommsen. Herm. IV. 7), et Schroeterius et Keilius in commentariis passim de ea re disputaverunt. Quapropter nos et eos errores, quos viri illi docti detexerunt et alios collegimus, cum ita demum, in quantum fides auctori nostro habenda sit, diiudicari posse videatur.

Primum igitur auctor de vir. ill. complurum virorum res gestas similitudine nominum deceptus mirum in modum confundit atque permiscuit. Ita cap. IV Hostius Hostilius avus cum Tullo Hostilio rege confunditur, cap. XV M. Valerius cum fratre P. Valerio Publicola, cap. XXVIII T. Manlius Torquatus cos. a. 407 a. u. c. cum T. Manlio Torquato cos. a. 519 a. u. c., cap. XXXIX A. Atilius Calatinus cum C. Atilio Regulo, cap. XLIV P. Cornelius Scipio Nasica cos. a. 563 a. u. c. cum P. Cornelio Scipione Nasica cos. a. 592 a. u. c., cap. XLIX Hasdrubal, Gisconis filius, cum Hasdrubale, Hamilcaris filio, cap. LI T. Quinctii Flamini pater cum C. Flaminio cos. a.

531 a. u. c. Eodem pertinet, si virorum illustrium cognomina alienissimis hominibus eiusdem nominis auctor noster indidit, ut Pontius ille dux Samnitum, Herennii filius, a Pontio Telesino, qui bello civili Mariano dux Samnitum erat, cognomen Telesinum (cap. XXX) et Apuleius tribunus plebis, qui Camillo diem dixit, ab Apuleio Saturnino, Marii satellite, cognomen Saturninum invenit (c. XXIII).

Deinde aliorum virorum res gestas ad alios auctor de vir. ill. transtulit similitudine rerum ab utrisque gestarum deceptus. Ita cap. XXXII Q. Fabium Maximum Rullianum iterum censorem fieri noluisse legimus, quem Livius X. 15 consulatum recusasse scripsit; at censuram Marcius Rutilus Censorinus recusavit (cfr. Val. Max. IV. 1, 3). Atque cap. XIX T. Tatio duce Volsci a Coriolano concitati Romanis bellum intulisse traduntur eiusdemque regis nomen in cap. LXXXI pro Attio Tullio occurrit — cuius erroris haec caussa videtur esse, quod uterque rex bello Romanos persecutus est.

Neque tamen minor peccatorum etiam graviorum numerus est, quae turbandis depravandisque singulorum virorum illustrium factis auctor de vir. ill. commisit. Quid enim dicamus de foeda eius ignorantia, qua victo Mithridate Sullam Sulpicia rogatione esse revocatum Mariumque Italia expulisse narravit (c. LXXV) et rerum a Sulla contra Mithridatem gestarum ordinem prorsus perturbavit? Et quam incredibilis eius inscitia institutionum Romanarum antiquarum, qui quasi miram quandam rem investigaverit, imaginem Catonis funeris gratia produci solere commemoret (c. XLVII), cum pervulgatam illam consuetudinem apud Romanos fuisse constet et eum tantum singularem honorem habitum esse M. Catoni, ut *e curia* imago eius ad funerum pompam expromeretur (Val. Max. VIII. 15, 2). Atque falso ante bellum Syriacum Lysimachiam Romanorum ditionis fuisse (c. LIV) et Numidiam a Pompeio Masinissae restitutam esse (c. LXXVII) et Tarquinium Collatinum sorore Tarquini Superbi genitum esse tradidit (c. IX). Nec minus negligenter Scipionem Nasicam aedificasse Matris Deum templum (c. XLVI) et Dolabellam a C. Julio Caesare iudicio oppressum esse (c. LXXVIII) et Metellum Pium Hispania Sertorium expulisse

(c. LXIII) et ab Appio Claudio Caeco aquam Anienem in urbem inductam viamque usque Brundisium lapidibus stratam esse (c. XXXIV) narravit.

Leviora autem illa auctoris nostri peccata magisque ad neglegentiam eius, quam ad ignorantiam referenda, si M. Catonem Praetorium ad vehendam ex Ptolemaei hereditate pecuniam in Cyprum missum esse refert (c. LXXX) et Ciceronem *praetorem* Ciliciam sortitum esse (c. LXXXI) et Metellum Pium *consulem* Herculeios in Hispania debellasse (LXIII) et Virginium filiae corpus humero gerentem ad exercitum profugisse (XXI) et C. Hostilium Mancinum *praetorem* adversus Numantinos profectum esse (LIX) — cuius generis exempla cuncta colligere longum est. Jam enim affatim, quam mendax auctoris de vir. ill. liber atque vitiosus exstet quantaque epitomatorum Cornelii Nepotis fuerit levitas atque socordia, esse comprobatum videtur, cuius vestigia non minus expressa et in Ampelii libello et in excellentium ducum exterarum gentium vitis agnoscuntur.

---

# APPENDIX.

## I.

Apud auctorem de vir. ill. LXXVI. 8 legendum est *percussorem Gallum Bithucum*.

In aereo enim nummo antiquo (Begerus tom. III Thes. Brandenb. p. 6; cfr. Havercamp. ad Oros. V. 14, 2) haec leguntur: BITOYKOC BAC — quam genuinam illius nominis formam Appianus (B. Mithr. 111) in *Βίτοιτος* immutavit (Schottii codices, cod. Lignit., eddt. Agripp. Arg. 2 *Bithocum*, ceteri codices *Siticum Situcum Scithocum Tosicum Cithocum*, Schroeterius et Keilius *Sithocum*). Atque etiam in Liv. libr. CII perioch. pro *Bitoctus* legere velim *Bithucus*.

## II.

Apud Florum I. 8 haec leguntur: Ac primum omnium (populus Romanus) ipsam Gallicam gentem non contentus moenibus expulisse — sic persecutus est *duce Camillo*, ut hodie nulla Senonum vestigia supersint. Spengelius verba *duce Camillo* propterea eiecit, quod res a Camillo gestae superiore capite relatae essent neque omnino eius imperatoris nomen illuc pertineret. Cui sententiae et argumenta a Heynio prolata (de Floro histor. Bonn. 1866 p. 7) adversantur et imprimis auctor de vir. ill., qui haec scripsit (c. XXIX): Reliquias Senonum Camillus persequebatur; adversum ingentem Gallum provocatorem solus Valerius tribunus militum omnibus territis processit.

---




2









This book should be returned to  
the Library on or before the last date  
stamped below.

A fine of five cents a day is incurred  
by retaining it beyond the specified  
time.

Please return promptly.

Lv 26.79  
De auctoris de vir. III. libro quae  
Widener Library 005214689



3 2044 085 246 593